SACRA RITUUM

CONGREGATIONE

Emo, & Rmo Domino

CARDINALI CARACCIOLO

R E L A T O R E

NUCERINA PAGANORUM

Beatificationis, et Canonizationis

V E N. S E R V I D E I

ALPHONSI MARIÆ

D E L I G O R I O

Fundatoris Congregationis SSmi Redemptoris, ac olim Episcopi S. Agathæ Gothorum.

NOVA POSITIO

SUPER VIRTUTIBUS



ROMÆ MDCCCVI.



APUD LAZARINUM REV. CAM. APOST. TYPOGRAPHUM

NUCERINA PAGANORUM

Beatificationis, et Canonizationis

VEN. SERVI DEI

ALPHONSI MARIÆ
DE LIGORIO

Fundatoris Congregationis SSmi Redemptoris; ac olim Episcopi S. Agathæ Gothorum.

ANIMADVERSIONES

R. P. Promotoris Fidei

SUPER DUBIO

An constet de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe, & Charitate erga Deum, & Proximum, nec non de Cardinalibus, Prudentia, Iustitia, Fortitudine, & Temperantia, earumque adnexis in gradu heroico in casu, & ad effectum de quo agitur?

BEATISSIME PATER

1 Quamquam Patres in *antepræparatoriis* comitiis fulgorem virtutum viri innocentissimi atque sanctissimi V.S.D. ALPHONSI MARIÆ DE LIGORIO vehementer sunt demirati; duxerunt tamen opportunissimum, ut novis strenuorum Defensorum curis ea, quæ mox subjiciam, explicentur atque illustrentur.

DE CASTITATE, ET MENTIS PER POSTREMOS VITÆ ANNOS IMBECILLITATE.

2 Principio illud gravi dignum animadversione visum est, quod Viri Venerabilis Confessarius de eo enarrat: *Mi disse, che era stato sorpreso da una si forte tentazione di senso, onde il Demonio invisibil-*

mente afferrando IL SUO BRACCIO LO TIRAVA *a viva forza* ALLE PARTI PUDENDE , *ed il fomite si era estremamente ribellato* (*a*) . Porro pudendorum tactus , nisi ex licita honestaque caussa fiat , suapte natura peccatum est , illudque gravissimum . Excusari igitur Alphonsus non poterit, nisi id referatur ad phantasiæ lusum ortum ex *obfuscatione imbecillitateque mentis* , in quam annosissimus senex postremis vitæ annis inciderat : *si fece vedere negli ultimi anni di sua vita* STOLIDO E SCIMUNITO . . . *seppe così portarsi* , *che* ANCHE TALESI STIMAVA DA NOI (*b*) . At si hanc excusationem petitam a mentis imbecillitate in medium Postulatores adferant , actum erit de virtutum heroismo , actum de caussa omni , uti jam est *superioribus Animadversionibus* demonstratum (*c*) .

3 Quocirca alio convertunt sese Defensores acuti, eoque se recipiunt , ut contendant , *Dæmonem* , invito , ac reluctante Alphonso , violentiam intulisse ejus BRACHIO , illudque ad pudenda traduxisse . Sed hoc illi cum dicunt , in magno videntur errore versari . Primum quoniam huc recidit quæstio , cum certum sit tactum illum pudendorum , si modo ex voluntate procedat , *suapte natura* gravissimum esse peccatum , necessarium esset ad purgandum Alphonsum in hac sanctitate severitateque judicii , ut CERTI simus MORALI SALTEM CERTITUDINE , id opus ab SOLO DÆMONE processisse . At qua ratione id CERTUM nobis erit *morali certitudine* ? Donec autem id *incertum* erit , Alphonsi caussa in incerto loco versabitur .

4 Quid vero , si tantum abest , ut *certum* sit *morali certitudine* traductionem illam brachii ad pudenda *solius Dæmonis* opus fuisse , ut imo *certum* sit , opus illud a Dæmone fieri nequaquam potuisse . Grave hoc loco ulcus tangunt Defensores peregregii , proleque videant caveantque , ne in *propositionem* impingant *quadragesimam primam* impii fœdique *Molinosii* ab Sancta Sede damnatam , quæ ita se habet . *Deus permittit & vult ad nos humiliandos* , *atque ad veram transformationem perducendos* , *quod in aliquibus animabus perfectis etiam non arreptitiis Dæmon* VIOLENTIAM INFERAT EARUM CORPORIBUS : *easque actus carnales committere faciat* , *etiam in vigilia* , *& sine mentis obfuscatione* , MOVENDO PHYSICE EARUM MANUS, *& alia membra* CONTRA EARUM VOLUNTATEM ; *& idem dicitur quoad alios actus per se peccaminosos* ; *in quo casu non sunt peccata* , *quia in his non adest consensus* .

5 Scio , non defuisse aliquem , qui putarit , in iis propositionis damnatæ verbis *permittit* & *vult* damnatam fuisse solam *volitionem*, non autem *permissionem* Dei . At falsa ejusmodi videtur opinio . Primum enim quænam absurdissima isthæc interpretandi ratio est , ut cum damnata propositio non habeat tantum *vult* , sed utrumque *permittit & vult* , solam volitionem non autem permissionem damnatam fuisse fingamus ? Sed præterea , ne in re lubrica vehementer erremus , probe distinguendum est inter corporis membra . Sunt quædam membra corporis , quæ nata sunt moveri *motu voluntario* , & quo-

---

(*a*) *Sum. Object. pag.* 17. §.17.
(*b*) *Summar. Object. pag.* 21. *in fin.* & *seq. num.* 9. §. 1. & 2. & *pag.* 12. §.3.

(*b*) *Super Animadv. tit. de quarta Epocha a* §.66. *ad fin.*

quorum motus pendent ab solo *nutu voluntatis* ac *rationis*, cujusmodi sunt manus, brachia, pedes, oculi, aliaque ejusmodi. Scite S. THOMAS: *Si anima dominatur corpori dispotico principatu, quia corporis membra in nullo resistere possunt imperio animæ; sed statim ad ejus imperium movetur PES, MANUS, & quodlibet membrum, quod natum est MOVERI MOTU VOLUNTARIO*(a). Alia autem sunt membra & partes corporis, quæ pertinent ad *phantasiam* & *imaginationem*, atque *adpetitum sensitivum*.

6 Ad ista igitur, non autem ad priora illa pertinere potest Dæmonis influxus & operatio. Nam, ut idem docet ANGELICUS: *talis motus localis spirituum, vel humorum procurari potest a Dæmonibus, sive dormiant, sive vigilent homines; & sic sequitur; quod homo aliqua imaginatur. Similiter etiam adpetitus sensitivus concitatur ad aliquas passiones secundum quemdam determinatum motum cordis, & spirituum: unde ad hoc etiam Diabolus potest cooperari.* Quibus S. Doctor illud ostendit, quod *tota interior operatio Diaboli esse videtur circa* PHANTASIAM, & ADPETITUM SENSITIVUM (b). Et quamvis concedatur, Dæmonem, spectata naturali ejus virtute, nisi a Deo refrænetur, *absolute* posse movere ea etiam hominis membra, quæ nata sunt moveri motu voluntario, uti manus & pedes, illumque *invitum*, ac *reluctantem* cogere ad alterius occisionem, aut aliquem actum carnalem; tamen certum est ex damnata Molinosii doctrina nunquam id aut *velle*, aut etiam PERMITTERE posse summe bonum, ac summe providum, atque intentatorem malorum Deum. Sapienter AUGUSTINUS: *Quædam, quæ Angeli mali facere possunt, si PERMITTANTUR, ideo facere non possunt, quia NON PERMITTUNTUR* (c). Quem Augustini locum laudans ANGELICUS ait: *Sicut Angeli boni per gratiam aliquid possunt ultra naturalem virtutem, ita Angeli mali minus possunt ex DIVINA PROVIDENTIA IPSOS REPRIMENTE, quam possint secundum naturalem virtutem* (d).

7 Non ergo de sola VOLITIONE damnata Molinosii propositio accipienda est, sed etiam de PERMISSIONE Dei. Ac reapse ita eam propositionem intellexerunt, missis aliis, *Dominicus Riccius* Ordinis Prædicatorum, qui Molinosii doctrinam voluminibus omnino tribus impugnavit Neapoli editis anno 1711. ac *Nicolaus Terzaghius* Episcopus Narniensis. Porro *Riccius* damnatæ Molinosii 41. propositione sequentem opponit: *Moraliter loquendo, sive juxta consuetum vivendi hominum morem sub Dei suavi providentia rectum nequit homo totaliter a Dæmone tentari, aut aliquam pati violentiam, ut adhuc vigil, cumque sui est compos ad actus prorumpat illicitos contra ejus voluntatem, itaut nullo pacto dicatur ad illos præbere adsensum, seu aliquo concurrere pacto*. Multa deinde addit, quæ eo recidunt, ut ostendat: *quod esto Dæmon posset propria vi, nisi cohibeatur a Deo necessitare hominem ad aliquem indebitum actum, puta MOVENDO MANUS AD TURPIA, vel ad stringendum* gla-

(a) 1. part. quæst. 81. art. 3. ad 2.

(b) In quæst disput. quæst. 16. de malo art. 12. quæst. 6. de Mirac. art. 4. & 5.

(c) Lib. 3. de Trinitate cap. 9.

(d) Loc. supra cit.

gladium contra aliquem &c. & hoc præciso humanæ voluntatis adsensu, quod esset physice solum impellere hominem ad actum illicitum, non autem moraliter; attamen, ut subjunximus, hoc dicimus NON EVENIRE, spectato Dei suavissimæ providentiæ regimine, ut juxta consuetum regendi ritum in orbem NON PERMITTENTEM (notetur) *NON PERMITTENTEM, ut sic in angustiis tentationum perducatur homo, ut vigil composque animi actus agat turpes & delectabiles, & quod in istis tamquam marmorei pectoris non delectetur*. Hunc etiam esse damnatæ propositionis sensum statuit *Terzaghius*, qui rationibus ex intima theologia petitis ostendit: *nullo modo* (hoc est neque volente, neque PERMITTENTE Deo) *Diabolum per hujusmodi prætensas violentias COGERE POSSE animas perfectas in vigilia AD ACTUS CARNALES, aliosque per se ex objecto peccaminosos committendos, nisi deliberatus his actionibus a voluntate præstetur consensus; & contrarium adstruere est omnino falsum, nullique vel auctoritati, vel rationi consentaneum* (*a*).

8 Quæ cum ita sint, quoniam ea traductio brachii Servi Dei ad pudenda tribui omnino non potest impellenti & cogenti contra ejus voluntatem Dæmoni, mitius sane cum Viro venerabili agemus, si eam non ejus consensui & culpæ tribuamus, sed ludrico phantasiæ lusui, & decrepiti senis mentisque imbecillitate novissimis annis laborantis delirio. Quod quidem si culpa vacat, at certe nequit cum virtutum heroismo componi.

DE SCRUPOLIS

9 Huc etiam facit immanis illa *scrupulorum* seges, qua Ven. Alphonsus etiam POSTREMIS ANNIS dire excruciatus ac tortus est, de quibus jam actum est *superioribus Animadversionibus* (*b*). *Duo* enim inde sequuntur. Sequitur *primo*, ab hisce scrupolis valde auctam fuisse *mentis imbecillitatem*: Testes quippe ajunt: *Non si quietava dal fare SCRUPOLI SOPRA SCRUPOLI. Una volta stando egli nell' alto de' suoi scrupoli, angustie .... QUASI PAZZO FRENETICAVA ... il Fratello che lo assisteva gli disse con voce alta: Monsignore finitela ..... PERCHE' VOI MORRETE PAZZO* (*c*) atque ipsemet Dei Servus ingenue fateri coactus est. *Alcuni miei individui mi fanno SCIMUNITO: ma però mi fanno SCIMUNITO GLI SCRUPOLI. Mi stimano per STONATO; ma mi hanno STONATO GLI SCRUPOLI: gli scrupoli mi fanno stare così* (*d*). Sequitur *secundo*, cum tam gravi scrupulorum morbo consistere non posse *perfectionem*, *virtutumque heroismum* quippe cum ut superioribus Animadversionibus docui (*e*), status ille scrupulorum ad *incipientes* proprie pertineat, non ad *perfectos*, atque *heroes*. Iis autem, quæ jam diximus addi potest S. LAURENTIUS JUSTINIANUS, qui scrupulos adpellavit *pusillanimitatem inter*

(*a*) *Theolog. Historico-mystica dissert.* 11. §.40. *pag.* 131.

(*b*) *Pag.* 34. *ad* 37. §.68. *ad* 73.

(*c*) *Prat, Anim. pag.* 36. *&* 37. *a* §.70. *ad* 73.

(*d*) *Prat. Anim. pag.* 35. §.68.

(*e*) *Pag.* 37. §.73. *cum subjecta Nota*.

ternam consummantem fortitudinem; atque experientissimus Theologus mysticus SCARAMELLIUS in suo Directorio ascetico, qui fuse ac solide agit *dell'impedimento, che porgono gli scrupoli alla perfezione cristiana* (a).

DE SESSIONE ET USU FISTULÆ IN DOMINICI SANGUINIS SUMPTIONE

10 Sed illud pupugit Patres, quod cum Vir Venerabilis ob contortos colli musculos ita caput ad pectus inclinatum deferret, ut illud erigere nulla ratione posset, sibi tamen licitum putavit *sine Apostolico Indulto* dominicum sumere sanguinem in sacrificio missæ non modo *sedendo*, sed quod est etiam gravius, *altero presbytero* sibi in calicis sumptione ministrante (b). Nonne enim in re hac longe gravissima plenissimaque periculi nimium sibi tribuit Alphonsus? Certum sane est ex vigente Ecclesiæ disciplina ab altaris ministerio omnino arceri eos, tamquam *irregulares*, qui aliquo vitio corporis laborant: nam omne notabile corporis vitium, quod sacrificii decentiam impediat, aut augustissimum opus alicui periculo exponat, irregularitatem inducit. Propterea Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum Irregularem dixit Presbyterum, qui in aliquo membro, ut puta in genu, licet sinistro, vitium patiatur debilitatem, prout videre est in *Comen. Irregularitatis* 8. *Aprilis* 1775. & *in Barchinonen. Irregularitatis* 2. *Julii* 1801.

11 Itidem in *Consentina* 19. *Julii* 1725. irregularem pariter declaravit Presbyterum, qui, amissa in dextero brachio flexibilitate, omnes quidem Sacrificii partes rite exsequebatur, non autem perfecte signum crucis, nec sanguinis sumptionem, nisi sinistro brachio adhibito, perficere poterat: ubi etiam illud animadvertitur, quod licet dexteræ manus defectus posset per alium Presbyterum adstantem suppleri, qui sacram eucharistiam porrigeret; tamen ille irregularis censendus erat, quia *divisio hæc officii* permitti non debet. Quæ cum ita sint, conferantur jam duo illa corporis vitia cum vitio enormis curvationis colli, quo laborabat Ven. Alphonsus, ac deinde definiatur *primo*, num ad sacrificium integre ac decenter absolvendum, aut ad dominicum sumendum sanguinem longe ineptior efficeretur Dei Servus ab obstipo suo collo, quam qui vel debilitatem patiebatur in sinistro genu, vel in dextero brachio flexibilitatem amiserat; *secundo* num magis *dividatur officium*, sumpta ope Presbyteri adstantis eucharistia, quam divisum fuerit in Servo Dei; *tertio* denique, num magis indecorum sit, atque a *rubricis* alienum eucharistiam ope adstantis Presbyteri sumere, quam ad eam sumendam & *alienum auxilium*, & *sessionem* adhibere.

12 Reapse ipsemet Vir Venerabilis recto prius animadverterat, sibique plane suaserat, dominicum sanguinem in Missa *sedendo* sumere, proprium esse unius summi Pontificis, atque ab aliis id perfici absque expressa ejus dispensatione & facultate non posse. Quare ergo postmodum facile adquievit privato cuidam Theologo contrarium adfirmanti? Nonne, eo audito, *ad cautelam* saltem supremum Eccle-

 siæ

(a) *Tom. 1. tratten. 2. art. 11. cap. 1. & 2.* (b) *Prat. Anim. pag. 18. §. 57.*

sine magistrum consulere debuisset? Neque ad rem pertinere videntur allata ab Defensoribus exempla aut *B. Laurentii a Brundusio*, & *Ven. Thomæ a Virgine*, aut *infirmorum*, qui lecto sunt adfixi. Hi enim specialem habent ab Ecclesia dispensationem; ii vero, de quorum heroicis virtutibus judicium pronunciavit Apostolica Sedes, rem plane diversam agebant: aliud quippe est sedere *nelle segrete e memento*, longe vero aliud sedere, dum sumitur Christi sanguis, dum nempe summa ab celebrante religio, ac reverentia adhibenda est.

13 Neque defuerunt, quos adhuc pungebat Testis IV.Proc.Apost. S.Agath. Canonicus Liborius Carfora sub *FORMALI EXAMINE* deponens: *dopo di essersi consigliato con persone dotte ed illuminate risolvette di celebrare la S. Messa con assumere il sagro sangue PER MEZZO DI UN CANNELLETTO DI ARGENTO di dentro indorato, come FECE E PRATTICO' PER MOLTO TEMPO sino a che raddrizzatosi in qualche maniera si rese abile di nuovo a celebrare la santa Messa, come prima faceva* (a). Quis autem ferat Ligorium *sine Apostolico Indulto* (quod quidem ei nullimode concessum fuisset) adhibentem in sumptione calicis *fistulam*, quod est uni Romano Pontifici solemniter celebranti reservatum? Nec Postulatoribus profuit testimonium adferre *Alexii Pollio*, atque *Antonii Romito* contrarium ajentium (b). Testis quippe laudatus deponens de usu fistulæ non modo *qualificatus* est, nempe *Canonicus Primicerius Cathedralis, Examinator Synodalis, & Rector Seminarii*, sed præterea deposuit sub EXAMINE FORMALI. Duo autem Testes novissime a Postulatoribus expiscati sunt EXTRAJUDICIALES: non ergo horum Testium dictis infringi illius testimonium potest juxta Regulam, de qua *Rota cor. Gregor. decis.230. n.6. in recen. dec. 2. num.6.* Aliquis autem præterea addebat, sedulo animadvertendam esse depositionem *Alexii Pollio* (c) quæ aliquatenus videtur *æquivoca*, cum adhibita in ea legantur hæc verba: *IN CONSEGUENZA attesto, che Egli non si servì mai nella Messa della fistola.*

DE OMISSIONE SYNODI

14 Visus est etiam culpandus Ven. Alphonsus ob prætermissam *Dioecesani Synodi* celebrationem contra legem Concilii Tridentini eam jubentem, itemque contra gravissimam sententiam *Benedicti XIV.*, qui Constitutione XXVIII. ad universos Episcopos data, hortatur eos, enixeque obsecrat, ut sicuti Synodorum celebratio omissa fuit, *sublatis quibusvis impedimentis*, quamprimum haberi curent (d). Sed & Synodi prætermissio habet contra se Sacræ Congregationis Patrum Tridentini Concilii interpretum auctoritatem. Nam, cum Legis Conciliaris ac Pontificiæ vindex ea sit, haudquaquam adquievit Alphonso *excusanti se difficultatum ac negociorum obtentu*, sed quasi excusationem nullam probabilem Vir venerabilis adtulisset (tanta nempe vis est, & gravitas legis) eum ad cogendam Synodum vehe-

men-

(a) *Summar. pag.375. §.308. Proc. Apost. S.Agath. f.712. & 763. t.*
(b) *Sum. Addit. n.8. lit.A. & B.*
(c) *Sum. Addit. num.8. lit.A.*
(d) *Const. Quamvis paterna Bullar. tom. 1. pag. 66.*

menter inflammavit inquiens, Synodum futuram laudum tanti Episcopi metam, Synodoque nihil utilius, nihil opportunius, nihil commendatius, nihil gratius Sacræ Congregationi exstiturum; hoc esse votum, hanc spem, eamque solicitam, Sacræ ipsius Congregationis, uti patet ex Epistola diei 20. Augusti 1765. ab ipsis Postulatoribus prolata (a); in qua hæc præsertim notanda sunt: *omnem operam, cogitationem, prudentiam, ac industriam tuam ILLUC CONVERTERE DEBES, in quantum in te est tuisque viribus conniti, multumque divino auxilio confidere, ac demum in suprema voluntate de exitu, quicumque futurus sit, conquiescere*.

15 Nec satis. Post triennium, die nempe 27. Julii 1768. iterum Sacra Congregatio eamdem synodi celebrationem inculcavit, atque inferciit Alphonso gravissimis hisce verbis: *præclaram EE.PP. de te esse opinionem tibi persuadeas, quam in dies auctiorem feceris, PRÆSERTIM si ceteras Apostolatus partes DIŒCESANÆ SYNODI CELEBRATIONE cumulaveris*. (b) Non tamen tam enixis Sacræ Congregationis votis obsecundavit Alphonsus; quamvis ipse huic adimplendo muneri omnium forte aliorum Episcoporum aptissimus esset, quippe cum familiaritate & gratia valde polleret apud regios administros Marchionem Tanuccium & de Marco: (c) sed, adhibitis in consilium quibusdam viris, a lege conciliari ac Pontificia adeo, ipsi ab Sacra Congregatione semel iterumque indicta, se ipsum dispensavit. Quod ne Episcopi quidem minus vigiles facere consueverunt; qui cum a Synodo sibi necessario abstinendum esse demonstrant, liberari se hac lege, aut eam temperari, aut commutari ab ipsa Sacra Congregatione efflagitant. Neque vero Postulatoribus prodest *Ven. Tenderinii* exemplum, quod obest potius: nam ille impetrarat ab Sacra Congregatione veniam; noster non impetravit: sententias autem Benedicti XIV. seu potius sententiarum lacinias in defensione ad ductas, si suis locis, e quibus motæ sunt, restituantur, aliorsum omnino spectare quisquis animadvertet.

DE RENUNCIATIONE EPISCOPATUS, ET PAUPERTATE.

16 Quid vero dicam de *renunciatione Episcopatus*, quam Alphonsus tam enixe tamque obfirmato animo a Summo Pontifice obtinere studuit? Nulla profecto adfuisse videtur congrua atque apta impetrandæ illius abdicationis caussa. Deerant ne illi vires, quibus in suscepto onere perseveraret? Nullo modo. Nondum enim, sequuta renunciatione, Agathensi abscesserat Diocesi, cum ultro obtulit se ad eam regendam usque ad Successoris sui adventum, quem probe ipse intelligebat nonnisi post aliquot annos in Diœcesim venturum, uti reapse adcidit: *Voglio scrivere al Papa, che mi faccia seguitare il governo sino a tanto che non prenderà il possesso il nuovo Vescovo: che DI FATTI SCRISSE IN ROMA, e che gli fu risposto, che essendosi il nuovo Vescovo proclamato, non poteva l'antecessore trattenersi in Diocesi, e governarla* (d).

De-

(a) *Sum. Addit. num. 5. §. 2. 3. & 4.*
(b) *Sum. Addit. d. num. 5. post litt. B.*
(c) *Sum. pag. 307. §. 282, pag. 458. §. 15. pag. 464. pag. 707. §. 8. ac præsertim pag. 714. §. 52. pag. 715. §. 58. pag. 716. §. 68. pag. 723. §. 107. & 110.*
(d) *prat. Anim. Pag. 31. §. 63.*

17 Deinde post Episcopatus dimissionem fundatam a se Congregationem quoad vixit, tamquam supremus Rector, gubernavit. Tum vero etiam sæpe sermocinabatur: quotidie ad quinque horas in exarandos libros inque lucem edendos incumbebat: Confirmationis Sacramentum administrabat, nec petenti cuiquam opportuna denegabat consilia. Itaque adhuc illi subpetebant vires ad præcipua Episcopi munia obeunda. Cur eas igitur non pro concreditis sibi in susceptione Episcopatus ovibus insumpsit, pro quibus vel suam ponere animam solemniter se sacramenti religione devinxerat (*a*)? Cur non sapienti Clementis XIV. voluntati se præbuit morigerum, qui ei jusserat, ut vel infirmus atque in suo lectulo jacens oves suas pasceret informaretque? *che contentavasi che governasse la Diocesi di sopra il letto* (*b*)? Cur demum tranquilitatem & comoda vitæ sibi desponsatæ Ecclesiæ pretulit utilitati? Vereor, ut hæc cum heroica Episcopi virtute conciliari queant. Quo loco ita apte argui potest: aut exercendo pastorali officio impar non erat Alphonsus; & lapsus est, dum ejus abdicationem non tam petiit, quam ab Summo Pontifice tam enixis studiis impetravit; aut impar erat; & gravius est lapsus, dum ei muneri impar supplex Pontificem adiit, *che mi faccia seguitare il governo sino a tanto che non prenderà possesso il nuovo Vescovo*, quod nonnisi post diuturnum tempus præsciebatur eventurum.

18 Sed in hac Episcopatus abdicatione visus est etiam Alphonsius ab *heroica paupertate* non leviter deflexisse. Ille enim ultro lubenterque *integram* ingentem summam OCTICENTORUM DUCATORUM pensionis nomine de mensa Agathensis Ecclesiæ sibi adsignatam acceptavit, & post abdicatum Episcopatum ad *claustrum* ac primævam *religiosæ vitæ* rationem rediens USUM CURRUS adhuc retinere non dubitavit. Possunt ne hæc in viro religioso in claustro degente & voto paupertatis adstricto cum *heroica paupertate* componi? Exempla non desunt, etiam nupera, virorum, qui, abdicato Episcopatu, ad *claustra* redierunt, & abjectis curribus, ac servis, *primævam vitæ rationem* omnibus aliis religiosis consodalibus suis *communem* iterum amplexati sunt. Id sane fuisset viri paupertatis studiosi, præsertim *heroicæ*.

19 Maxime vero, quia ad honestam religiosam vitam ducendam satis superque ei esse poterant præter commoda *vitæ perfecte communis* in ejus Congregatione vigentis *peculiares* etiam reditus tum ex Neapolitano Doctorum collegio, tum ex Sedili, quod vocant, *di Porta nuova*. (*c*) At enim, ajunt, Ven. Dei Servus domorum suæ Congregationis & pauperum inopiam eleemosynis levabat. Respondeo in primis, id agere non potuisse iis reditibus, quos erogabat in SERVUM & CURRUM: Deinde multo satius dubio procul fuisset, recusata pensione ex reditibus Episcopatus, Agathensi Episcopo largiorem reliquere facultatem subveniendi illius Diœcesis pauperibus, quibus ex fundatione ii redditus fuerant destinati. Verbo: Episcopatus onera & solicitudinis recusavit Alphonsus; commoda autem deliciasque

(*a*) *Expos. Virtut.* §. 163. *Ibid.* §. 122. & 26. *Ibid.* §. 4. *Ibid.* §. 77. & 128. *Ibid.* §. 127. & 146.

(*b*) *prat. Anim. pag.* 31. §. 62. *respons. pag.* 64. *pag.* 127.

(*c*) *Expos. Virt.* §. 150.

etiasque *servorum & currus* sibi subtrahi haud passus est. Porro Ven. Dei Servus Theologiæ ac SacrorumCanonum peritissimus angi se forte non leviter sensit eo pensionis negocio. Quocirca ea de re sacram Pænitentiariam consulere opportunum ac necessarium duxit, quæ rei totius judicium ejus spiritus Directori commisit: *ne fece scrivere al Sig. Card. Penitenzier maggiore, il quale lo rimise al giudizio del suo Direttore*. (*a*) At heroicarum virtutum cultor, atque heroicus evangelicæ paupertatis professor dispensationes, ac privilegia non quæritat.

DE DOCTRINA, UTI OPPOSITA HEROICÆ PRUDENTIÆ, ET NUNQUAM DENEGATA PÆNITENTIBUS ABSOLUTIONE

20 Ad hæc,cum gesta apostolici hujus viri celeberrimi id proprium habeant, ut studiosissime omnium ad se oculos rapiant; cumque tali tantoque nomini impertiri Ecclesia altarium honores non possit, si quando velit, nisi uno tempore Alphonsum tamquam *exemplum* ac veluti facem præferat, præsertim doctis piisque viris evangelici agri cultoribus, ac spectatissimo ipsi ordini Episcoporum; propterea diligentia quanta maxima enitendum est, non modo nulla ut macula hanc lucem obumbret, sed (quod caput est) ut inclinatis jam, ac decidentibus hujus seculi moribus nullum obvelamentum in Alphonsi nomine atque exemplo relictum esse intelligatur. Atqui nonnihil obvelamenti relictum his moribus videri posset, si consisteret IMPRUDENTIÆ nota, quam eidem inusserunt docti plures, atque, uti existimandum est, benemorati Scriptores, præsertim ob nonnullas regulas in morum doctrina ab eo traditas, quarum ductu frænum humanæ libertatis non parum fortasse laxari arbitrati sunt.

21 Ex horum numero non nominabo eos, qui vehementius contra venerabilem Virum commoti demonstrasse visi sunt, aperiri ab eo viam in suis *libris de Theologia morali* ad perniciem atque interitum animarum; qui tamen, quam diu ab Ecclesia non reiiciantur (reiicientur antem nunquam) tam diu Alphonsi nomen conrodent. Unum *Carolum Blascum* nominabo, Scriptorem omnium judicio piissimum juxta ac doctissimum, & nullo partium studio in transversum actum. Qui quidem prope finem *epistolæ*, quam scripsit *dell'origine e progresso dell'odierno probabilismo* etsi pietatem Servi Dei insignem, admirabilem caritatem, labores incredibiles suspiciat; liberare tamen eum ab IMPRUDENTIÆ nota non potest ob *regulam*, quam ille statuit: *legem dubiam obligandi vim nullam habere*. Atque hanc certe regulam cum PRUDENTIA ac sobrio judicio consistere non posse alii quoque sapientes viri demonstrarunt, quos inter *Gentilium* Cardinalem doctissimum nomino in sua Oratione *de caussis acàdemic. disput. in Theologia morali* (*b*).

22 Huc etiam pertinet (addebat quidam ex Patribus) intemperans illa libertas, quam (*c*) Confessario indulget conformandi se contra propriam opinionem, quam probabiliorem putat, minus tutæ sententiæ penitentis; quod totam subvertere videtur pænitentialis fori æconomiam

(*a*) *Expos. Virt. pag.* 110. §. 213.

(*b*) *Tom.6. Op.Edit. Bonon. p.*418. *& seq,*

(*c*) *Tom.2. lib.16, tract.4. de Sacram. pænit. cap.1. dub.3. art.1. num.*472.

miam, uti advertunt contra *Lucium Ferraris*, qui Ligorio subscripserat, Romani ejusdem *Lucii* censores verbo *Confessarius*. Nec minus imprudenter Alphonsus combibit doctrinam illam, qua tradidit *peccata læthalia dubia non esse necessario in confessione aperienda* (*a*) Concilio Tridentino & Catechismo Romano repugnantibus. Vix etiam defendi potest ab imprudenti luxuriantium ingeniorum sequela, dum ait (*b*) ordinarie loquendo magis prodesse *consuetudinariis*, *recidivis*, & *occasionariis* absolutionem eis impertiri, cum dispositi adcedunt per signum extraordinarium doloris (inter quæ signa nonnulla recenset æquivoca & prorsus contemnenda) contra mentem *Alexandri VII.* & *Innocentii XI.*, qui adeo severe in suis Constitutionibus ne ii cito & facile absolvantur præceperunt.

23 Quam quidem *imprudentiam doctrinæ practica* etiam *imprudentia* comprobasse Alphonsus visus est, testante viro gravi, religioso, atque ipsius Servi Dei CONFESSARIO P. Dominico Corsano, nullum ab eo sine absolutione unquam fuisse dimissum: *penetrava il più duro cuore, e li faceva disciogliere in lagrime di vera compunzione; per cui chiunque andava da lui a confessarsi per ostinato e duro, che fosse stato, si doveva onninamente compungere: ed anzi EGLI STESSO MI DISSE PIU' VOLTE, che non si ricordava di aver licenziato qualche Penitente SENZA IL BENEFICIO DELLA SANTA ASSOLUZIONE sagramentale; e tale e tanto, che queste conversioni, che Egli animato dallo spirito di Dio non solo furono sempre sincere, ma eziandio stabili e permanenti. Sgridava perciò sempre quei Confessori, che non sapevano accogliere e compungere i Penitenti; onde erano costretti a mandarli indietro senza la grazia di Gesù Cristo colla sagramentale assoluzione* (*c*). Porro quis tam plumbeus erit, ut combibat, in tanto temporis decursu annorum quadraginta, in tanto ac pene infinito pænitentium numero, in tanta locorum ac personarum varietate nullum unquam ad Dei Servum adcessisse consuetudinarium, recidivum, occasionarium, cui juxta Apostolicas Constitutiones præceptionesque absolutio differri & salubriter posset, atque adeo omnino deberet?

24 Jam vero, qui hasce regulas doctrinamque in materia morum professus est, altarium ne honoribus dignus sit, aut saltem expediat, ut iis honoribus illustretur, illud est, quod plures adfirmabunt; plures autem negabunt; alii vero fortasse dubitabunt. Nunc hoc unum mitissime adverto: si staret, ut levissima contra *prudentiam* in Alphonso culpa, vix reputari posse, cumulatas, perfectas, ac supra communem modum elevatas illius virtutes inclaruisse: scitum est enim, reliquas omnes virtutes ita copulatas atque connexas esse cum *prudentia*, ut neque ipsa sine illis, nequa sine ipsa illæ consistant; nam, cum ex duabus partibus quælibet virtus constet, ratione, & actione, quarum prima ad *prudentiam* spectat; propterea cognatio tanta inter ipsam aliasque virtutes constituenda est, ut jure sapientes rectricem ipsam ac moderatricem aliarum virtutum dixerint, & non nemo *animæ oculum* scite adpellarit (*d*).

25 Sed antequam locum hunc deseramus, ubi de *doctrina* Servi Dei, uti hæ-

(*a*) *Ibid. cap.1. dub.3. art.1. num.473.*
(*b*) *Lo co supra cit. num.464.*
(*c*) *Summar. pag.413. §.212. & seq.*
(*d*) *S. Antonius ap. Cassian. coll.2. cap.2.*

heroicæ prudentiæ opposita disseruimus, animadvertendum est, quosdam ex Patribus opportunissimum, ac plene necessarium duxisse, ut *retractationes*, quas non semel Ven. Ligorius doctrinarum ab se traditarum edidit ea, quæ sanctissimum virum decebat, docilitate atque humilitate, in unum omnes colligantur, atque ita collectæ seorsim ab ejus opere de Theologia morali publici juris fiant. Nam Ipsemet Ven. Alphonsus monuit (*a*), suum Opus NIMIS FESTINANTER *fuit typis demandatum*: PLURA IN EO NON BENE EXCUSSA EXCIDERANT. Ex quo factum est, ut plurimas, nempe CENTUM VIGINTI QUIUQUE propositiones vel retractaverit, vel reformaverit, quarum *nonaginta novem* habentur in secunda post Neapolitanam Editione, reliquæ in Editione nona anni 1785. biennio nempe antequam Dei Servus ad superos evolaret: atque hæc nona Editio illa est, quæ *revisioni*, *& censuræ* ex praxi hujus S.Congregationis subjecta fuit, & in qua nihil censura dignum repertum fuisse eadem S.Congregatio declaravit *Decreto diei* 14.*Maii* 1803.

26 Porro ex iis, qui primi theologicum Opus istud compararunt, sunt qui *retractationes* prorsus ignorant: sunt, qui eas factas & evulgatas quidem audierunt, sed minime viderunt: sunt tandem, qui eas norunt quidem, sed non omnes, cujusmodi in novissima Editione recensentur. Quibus positis, verendum profecto est, ne ii, qui *primis Editionibus* potiuntur, videntes Alphonsum altarium honoribus auctum, putent cum Auctore suo probatas confirmatasque ab Apostolica Sede illas etiam sententias, quas Alphonsus ipse vel retractavit, vel reformavit. Ne quid tale igitur adcidat, valde expediens, ac plane necessarium est, ut *Elenchus Retractationum*, de quibus agitur, de mandato hujus S. Congregationis seorsim ab Opere typis evulgetur, ut omnes possint eas noscere, sibique facili negocio comparare, atque ita fidelium profectui prospiciatur, & Sacræ ipsius Congregationis decus sarctum tectumque servetur.

DE RELIQUIS OBSTACULIS

27 In aliis etiam lapsus visus est Ven. Alphonsus, quæ complectar brevi. *Primo* lapsus est, cum præcipiti judicio in exilium egit religiosum, probum, atque insontem virum, de quo *superioribus Animadversionibus* actum est (*b*). Multis quidem Ven. Virum purgare curant Defensores, præsertim vero, quia is errorem animadvertens famam innocui viri reparavit; sed hoc efficere haud potuit, quin prudentiam ac justitiam læsisset Alphonsus. Fuit quidem ipse falsa delatione deceptus, sed hæc ipsa deceptio in caussa voluntaria fuit, quia ultro delationem sine prævio examine admisit. *Secundo* aliquem adhuc angebat, Dei Servum panem eucharisticum homini ad communionem adcedenti primum publice negasse; mox vero, accepto ab eo responso de peracta confessione, illico administrasse, de qua re late diximus *superioribus Animadversionibus* (*c*). Utrumque componere, seclusa peculiari mentis illustratione non facile admittenda, arduum videtur: vel enim inopportuna atque injusta fuit Eu-

(*a*) *Præfat. ad Lector. edit. an.*1785.
(*b*) *Pag.*22. §.45.
(*c*) *Pag.*19. §.39.

Eucharistiæ negatio, vel præpropere administrata communio est, ad quam juxta Apostoli monitum prius probandus est homo.

28 *Tertio* cur Alphonsus expergefactus a somno illo diuturnissimo duorum dierum circumstantibus dixit, se interea temporis Clementi XIV. morienti adstitisse (*a*). Aut id ad somnium ac delirium pertinet, aut ad charismatis ostentationem vanamque gloriolam. *Quarto* quoad *Visitationes episcopales* singulo quoque biennio peragendas nonnulla earum monumenta dantur in *Sum. Additionali*; sed non omnes singillatim ostenduntur. Id Cancellarii episcopalis socordia accidisse reponitur, qui neglexerit diligentius omnes *visitationes* recensere. Sed hoc ipsum ostendi clarius debet, ne magnæ muneris sui parti a Tridentino præsertim Concilio demandatæ Dei Servus defuisse dicatur. *Quinto* denique nonnulla occurrunt (ajebat quidam ex Patribus) in extrema Alphonsi senectute, quæ imbecillitatis suspicionem ingerunt. Optandum ergo esset ad completissimam Caussæ illustrationem, ut mentis oberrationes, si quæ fuerunt, momentaneæ ac transeuntes, non habituales demonstrentur, nihil ut inde heroicarum virtutum integritati detractum esse videatur.

29 Obiicienda hæc a me erant pro muneris mei ratione, & gravissimi hujus sanctitate judicii. Reliquum jam est strenuis Postulatoribus non deesse sibi, & nubeculas hasce omnes penitus dispellere, ut Antistes hic sanctissimus altarium honoribus augeri possit ad sanctæ matris Ecclesiæ decus, & Episcopalis ordinis ornamentum.

Quæ dicta sint sub censura &c. salvo &c.

Hieronymus Napulioni S. Fidei Promotor.

(*a*) *Prat. Anim. pag.* 33. §. 65.

NUCERINA PAGANORUM

Beatificationis , et Canonizationis

V E N. S E R V I D E I

A L P H O N S I M A R I Æ

D E L I G O R I O

Fundatoris Congregationis SSmi Redemptoris ,
ac olim Episcopi S. Agathæ Gothorum .

R E S P O N S I O

A D N O V A S

ANIMADVERSIONES

R. P. FIDEI PROMOTORIS

S U P E R D U B I O

An constet de Virtutibus Theologalibus Fide , Spe , & Charitate erga Deum, & Proximum ; nec non de Cardinalibus Prudentia , Justitia , Fortitudine , & Temperantia , earumque adnexis in gradu heroico , in casu , & ad effectum , de quo agitur ?

BEATISSIME PATER

1 Mira illa animorum consensio , & una omnium vox , qua in ante actis comitiis AA. PP. tum privatim singuli , tum publice universi, ad heroicas Virtutes VEN. ALPHONSI MARIÆ DE LIGORIO meritis laudibus commendandas , extollendas , celebrandas conspirarunt , tuto jam in loco positam esse Causam fausto nobis omine præenunciabat . Nec temere concepta spes , nec frustra vota suscepta . Quod enim tunc animo præsentiebamus , gravissimo nunc , & luculentissimo ingenui Animadversoris testimonio probatum tenemus , qui in ipso dicendi limine aperte scribit , quod AA. *Patres in antepræparatoriis Comitiis fulgorem Virtutum Viri INNOCENTISSIMI , ATQUE SANCTISSIMI* V. S. D. *ALPHONSI MARIÆ DE LIGORIO vehementer sunt demirati* (a) .

(a) Nov. Animad. §. 1.

2 Hujusce porro præconii cum tanta magnitudo sit, ut eam complecti oratione non possim, ac tanta in eo animorum vestrorum declarata voluntas, ut Causa dicta jam videatur, quonam utar dicendi genere, vel orationis copia, ut cumulate vobis, Sapientissimi Judices, cum ornatissimo Postulatore pro beneficio gratias agere valeam? Quamquam vero omnibus plurimum hoc nomine debeamus, pari tamen studio eorum illi, vel alteri nos debere profitemur, qui nubeculas quasdam ideo novis curis dispellendas objecit, ut *Antistes hic* SANCTISSIMUS ALTARIUM HONORIBUS AUGERI POSSIT *ad Sanctæ Matris Ecclesiæ decus, & Episcopalis Ordinis ornamentum*. (a) Has ergo nubeculas eadem, qua objiciuntur, methodo disp llendas aggredior.

DE CASTITATE, ET MENTIS PER POSTREMOS VITÆ ANNOS ASSERTA IMBECILLITATE.

3 Quum in præterita Causæ actione geometrica demonstratione clarius probaverim spectra illa, & phantasmata, quibus Cacodæmon, velut olim Paulum, Antonium, Palladium, Catharinam Senensem, Magdalenam de Pactiis, aliosque celebriores Ecclesiæ Sanctos, Ven. Alphonsum in postremis vitæ annis interius, exteriusque vexavit, non ludricos fuisse phantasiæ lusus, ac decrepiti senis imbecillitatis argumenta, sed veras vaferrimi hostis artes, quibus (Deo ad Servi sui augenda merita permittente) ejus animam, velut scapham meritis onustam in ipsis portus ostiis, ut Chrysostomus ait, demergere conabatur (b); religiosus nunc occurrit, monetque Censor, ne dum *solius Dœmonis opus* fuisse dico tentationem illam, qua, ut Confessarius ait, *il Demonio invisibilmente afferrando il suo braccio lo tirava a viva forza alle parti pudende, ed il fomite si era estramente ribellato*, caveam, *ne in quadragesimam primam impii foedique Molinosii* a S.Sede damnatam propositionem impingam: (*Animad*. §. 3. & 4.) Sed nullum, in quem impingam, scopum, nec foveam, in quam incidam, video.

4 Erudito enim viro ultro libenterque concedo, quod, ut scribit §. 2. = *pudendorum tactus, nisi ex licita honestaque causa fiat, suapte natura peccatum est, illudque gravissimum*. Concedo item damnatum jure fuisse impium Molinosii commentum ab ipsa Animadversione relatum §. 4. =, *quod Deus permittit, & vult, quod Dœmon in aliquibus animabus perfectis &c. violentiam inferat corporibus, easque ACTUS CARNALES committere faciat, etiam in vigilia, & sine mentis offuscatione &c. & idem dicitur quoad alios ACTUS per se peccaminosos, in quo casu non sunt peccata quia in his non adest consensus*. Verum dum hæc ultro concedo quid commune habeant cum nostra Causa omnino non video. Ubinam enim legimus V. Virum, etiam nolentem, *peccaminosos actus* in Molinosii propositione expressos comisisse? Ubinam legimus tantam Dœmonem Alphonsi brachio intulisse violentiam, ut ad pudendorum *tactum* eum invitum coegisset? Nullibi certe. Secus enim *acta* clamant. Ita porro pergit V. Senis Confessarius, cujus verba ab integro conte-

(a) Nov. Anim. §. 29. in fin.

(b) præt. Resp. pag. 137. §. 292. ad 295.

textu divulsa objiciuntur *Sum. Obj. cit. pag.* 17. §. 18. = ibi = *Interrogato da me se avesse acconsentito alla fierissima tentazione mi disse, ch' Egli aveva fatte tutte le violenze, così* IN RESISTERE ALLO STRASCINO DEL BRACCIO, *che si sentiva sensibilmente tirare da forza invisibile, come in fare internamente*, ED ESTERNAMENTE ATTI CONTRARJ, *in non acconsentire* A MINIMO ATTO, *o pensiero, che offender potesse la sua illibata purità, ed innocenza, ed in questo COMBATTIMENTO fortemente avea gridato con esclamazione di duolo, e di afflizione* = Signore non ti voglio offendere: Dio mio dammi forza . . . . *gli dissi, che merito avea acquistato, e non demerito.*

5 Ergo iisdem, quibus impetitur, armis sententiam nostram tuemur. Si enim juxta *Dominicum Riccium, & Nicolaum Terzaghium* per doctum Censorem allatos §.7. *nequit homo totaliter a Doemone tentari, aut aliquam pati violentiam, ut adhuc vigil, cumque sui est compos, ad ACTUS prorumpat ILLICITOS*; Si Deus non permittit = *ut sic in angustiis tentationum perducatur homo, ut vigil, composque animi, ACTUS AGAT turpes, & delectabiles*, non permittit scilicet Diabolum *cogere posse ad ACTUS CARNALES*: Si demum in nostra facti specie constat Diabolum non ita violenter brachium ad pudenda traxisse, ut Ven. Senex illicitum tactum impedire non valuerit, sed e contra non solum moraliter, sed etiam phisice *aveva fatto tutte le violenze* IN RESISTERE ALLO STRASCINO DEL BRACCIO, *che si sentiva sensibilmente tirare*; consequens est violentiam illam non fuisse phantasiæ lusum, aut imbecillitatis argumentum, sed, ut ipsa exoptat animadversio §.3.; CERTI sumus *morali certitudine id opus A SOLO DOEMONE processisse.*

6 Hoc profecto probationis genus tam perspicuum, & evidens est, ut eo potissimum Theologi utantur ad passivam animæ purgationem agnoscendam. Quamobrem præter objectos Riccium, & Terzaghium, scribit etiam Lopez *in luc. myst. Tract.* 6. *cap.* 3. 2. 29. quod = *nullum unquam vidimus in hac purgatione consistentem qui usque ad* CONSUMATIONEM OPERIS *peccaminosi perveniret*; ac post ipsum Cl. Mercurius Maria Teresi hodiernus Archiepiscopus Monregalensis advertit (a) quod *questo* E' UNO DE VERI CONTRASEGNI *dello stato di un' anima veramente costituita nella purga passiva*: Quartum signum, *nota lo stesso Dottore* (Lopez) *num.* 39. ,, est ,, quod anima *ad operis peccaminosi consumationem non adcedat*, ,, sed dum fervescente furore preceps ruere incipit, illico lumen il- ,, lud supradictum (divinum) irradiat, quo *ab opere peccaminoso*, ,, & ab insania appetitus resiliit = *e con ragione; perchè ella la* ,, *purgazione passiva và da Dio diretta a far prova dell' anima*, ,, *non mai ad imbrattarla, e rovinarla.*

7 Quum itaque fœdi Molinosii sententia versetur circa violentiam ad *complendos actus carnales illicitos*, qui in nostra facti specie nunquam interfuere, prætereo quæstionem illam, ad quam erudite nos Animadversio provocat *a* §. 5, *ad* 8. an in iis propositionis verbis: *Deus permittit, & vult*: sola Dei *volitio*, non autem *permissio*

 dam-

(a) Oper. Ascetic. Dub. 6.: Se sia vero, che alcune Anime di perfezione abbiano per violenza del Demonio pratticato atti impuri &c.

damnata censeatur. At quoniam Causæ bonitas nobis hæc otia fecit, ut censuræ loco, extra acta vagantes *accademicam* quæstionem cum docto Censore instituere cogemur; illud unum animadvertimus, quod ex ipsius objecti Terziaghi verbis satis aperte liquet eum opinari non Dei permissionem, sed volitionem esse damnatam, Scribit enim *Dissertat*, 11. §. 40. illius propositionis esse sensum, quod *Deus non solum permittat*; *SED velit etiam &c.* dictio autem *sed* adversatur præcedenti dispositioni *ex Text. in L. Sed*, *& si*, *L. in primo ff. de petit. hæred.*; & firmat Barbosa *tract. ult. tit. de Diction. dict.* 140. *num.* 1. = ac hujusmodi esse damnatæ propositionis sensum clare colligitur ex Card. de Laurea *opusc. de Orat. pag.* 360. Card. Gotti *quæst.* 12. *de Angelis pag.* 579. & P. Scaramelli, quem ipsa Animadversio inferius doctrinæ laude commendat, in suo *Directorio Mystico tract.* 5. *cap.* 11. = Posse vero Dœmonem inducere hominem ad actum de suo genere peccaminosum docet Angelicus *p.1.quæst.*80.*art*,3. *in corp.* = ibi = *Diabolus propria virtute, nisi refrœnetur a Deo, POTEST aliquem* INDUCERE EX NECESSITATE AD FACIENDUM *aliquem* ACTUM, QUI DE SUO GENERE PECCATUM EST, *non autem potest inducere necessitatem peccandi*;

8 Illud item extra omnem dubitationis aleam positum est, posse Diabolum ex Divina permissione violentiam inferre corporibus. Is enim qui Jesum *assumpsit* in sanctam Civitatem, & *statuit eum super pinnaculum templi*, & dixit ei: si Filius Dei es mitte te deorsum; quique iterum *assumpsit Eum in montem excelsum valde*, & dixit ei: hæc omnia tibi dabo si cadens adoraveris me = *Matth. cap.* 4., ille ipse homines tentans, præsertim perfectos, eorum corpora, & membra violenter movet, ut ad illicitos, & peccaminosos actus inducat, ceu passim legimus in Sanctorum historiis, ac præsertim in vita S. Marci Athen. Monachi *apud Bollan. ad diem* 29. *Maii cap.* 2. §. 12. = S. Petri Cœlestini apud eosdem *ad diem* 19. *Maii cap.* 1. = S. Mariæ Magdalenæ de Pactiis in ejus vita apud *Bolland. continuat. ad diem* 25. *Maii cap.* 6. §. 65. ubi legitur quod eousque urgebat Dœmonum prælium, *ut incitaretur ad mortem PROPRIIS MANIBUS conscindendam, sive immerso in guttur cultro, sive per laqueum in collo injectum*; in Vita B. Angelæ de Fulgineo a se ipsa conscripta *part.* 2. *cap.* 1. *p.* 53. = ibi = *affligor, tam in corpore, quam in anima. Corporis enim sunt innumera a multis Doemonibus multipliciter excitata: Vix credo quod possent scribi passiones, & infirmitates mei corporis, Nam non remanet in me ALIQUOD MEMBRUM, quod non sit percussum, tortum, & poenatum a Doemonibus* = De B. Helena Enselmina scribunt Bollandistæ ad *diem* 23. *Aprilis*, quod *Doemon eam* FORTITER IMPELLEBAT, *ut se præcipitaret, ut se strangularet &c. SUSTOLLEBAT, & in aquam dejiciebat SUBLATAM in alvum in terram cadere faciebat &c.* Quis umquam dixerit hujusmodi violentias non intulisse Dœmonem, sed eas potius inanes fuisse imbecillis mentis deliria, vel lœsæ phantasiæ lusus? At bona Causa *in accademica* quæstione me fecit esse dissertum;

DE

9 De scrupolis iterato sermone disserens ornatissimus Censor animadvertit §. 9. ab iisdem *valde auctam fuisse mentis imbecillitatem*. Sed primum imbecillitas probanda est, ut ea inde *aucta* adstruatur. At inquis affirmare Testes quod = *Non si quietava dal fare scrupoli sopra scrupoli. Una volta Egli nell'alto de' suoi scrupoli, angustie &c. quasi pazzo freneticava &c. il Fratello, che lo assisteva gli disse Monsignore finitela, che morrete pazzo* =, & similia (Animad. §. 9.) Hæc porro verba, si bene sapimus, non prætensam illam imbecillitatem ex læsis animæ potentiis ortam præseferunt, quam suadere conabantur *superiores Animadversiones* (*a*) ad quas *novæ* item appellant: imo vero objecti scrupoli tantum abest, ut imbecillitatis incrementum probent, ut potius omnis imbecillitatis lavam, ac suspicionem excludant. Constat enim V. Senem, ad Confessarii jussum, & vocem a scrupulorum anxietate cessare consuevisse (*b*), ac Dæmonis tentationibus quoties illatis, toties viriliter restitisse (*c*). Si potentiis læsus, si imbecillis, quomodo scrupolorum anxietatem ad voluntatis nutum, ad Moderatoris vix perceptum imperium deposuisset? Quomodo tentanti Diabolo restitisset? Claræ sunt hæ, ac necessariæ illationes, imo indubiæ sanæ mentis, ac pene divinæ Alphonsi sapientiæ probationes ab ipsis Causæ actis petitæ nullis omnino argumentis labefactandæ. His accedit vel ipsius V. Senis objectum testimonium = *Alcuni miei Individui mi fanno scemunito, ma però mi fanno scemunito li scrupoli . . . . li scrupoli mi fanno stare così* =. Ergo mente sanus erat, & scrupoli, quin prætensam imbecillitatem augerent, causa potius erant illius mentis evaginationis, qua aliquando suis videbatur *scemunito*; Qua de re haud opus habemus, ut ejusdem evaginationis aliam causam ab imbecillitate repetamus; ut bene *Rota in recen. part. 10. dec. 236. n. 7.* = ibi *Dum potuit vere, ac realiter fieri ex justa, & necessaria causa præcedenti, censetur utique potius ex ea, QUAM EX ALIA simulata.*

10 Et re sane vera, cum ex ipso *Summario Objectionali* satis constet per postremos vitæ annos permisisse Deum sui Famuli animam, quia sibi placitam, a Cacodæmone suggestione, ac phantasmatibus ita tentari, ut dicere cum sene Paulo posset = *Ne magnitudo revelationum extollat me datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus sathanæ qui me colaphizet* = *ad Cor. 2. 12. 7.* hinc tantus in eo oriebatur inter hujusmodi infernales incursus Dei offendendi timor, ut in hac una formidine, & cogitatione defixus, quid exterius operarentur homines, quidve sibi dicerent aliquando minus adverteret; imo quo sævior urgebat incursus, quo fortius ingruebat prælium, eo vehementiores præ resistentiæ vi ejulatus emitteret, suspiria, ploratus, & lamentabiles voces, ita ut insanire videretur. Et re quidem vera *tentationes, quas in homines a Diabolica obsidione expiandos Dæmones immittere consueverunt ULTRA MODUM ACRES, & VE-*

(*a*) Præt. Animadv. pag. 34. ad 37. §. 68. ad 73.

(*b*) Exposit. virt. p. 107., & seq. §. 205. ad §. 227.

(*c*) Sum. Object. pag. 14. init. §. 7. in fin. & 8., pag. 116. §. 14. ad 15. pag. 17. per tot., & in Exposit. Virt. pag. 30. §. 44. p. 37. §. 55. p. 120. §. 236.

& VEHEMENTIORES, *quam quod pati possit humana fragilitas*, *nisi Divinæ gratiæ viribus roboretur*, *esse solent*, *adeoque EXTRAORDINARIÆ in genere luxuriæ a Nobis nuncupantur*. *TALES fuerunt tentationes DIVI PAULI*. . . *hujusmodi fuerunt tentationes S. Benedicti*, *S. Francisci*, *S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis* . . . *B. Angelæ de Fulgineo* . . . *S. Hilarionis*, *cui cubanti non raro mulieres apparuere*, *ut eum ad libidinem provocarent*. *Tales etiam fuerunt tentationes S. Antonii Abbatis &c. Dæmon enim per noctes in pulchræ mulieris vertebatur ornatum*, *nulla omittens figmenta lasciviæ*; verba sunt Scaramellii in Directorio *Mystico Tract.V. cap.XI.*

11 Nil ergo mirum si Ven. Senex in obscura hac nocte positus, ac sævissimo hocce martyrii genere sæviter excruciatus insanire debere videretur. Nam apud omnes asceticos, imo vero apud ipsos etiam vulgares homines æque constat, tentationum incursus scrupolosque maximam gignere anxietatem, angustiam, timorem, mentisque evaginationem, quam qui experti sunt inferni pœnis assimilant; proptereaque scribit P. Jo. a Jesu Maria in suo *tract. de Orat.*, *& contempl. pag.* 569. 2. 12. quod = *Circa tentationes scrupolosas, quæ Servos Dei ita quidem interdum vexant*, *& affligunt*, *ut INSANIRE DEBERE videantur* . . . *notandum est &c. tentationem hanc subinde ADEO VEHEMENTEM esse*, *ut FIDEM SUPERET*. S. Jo. a Cruce in *obscura nocte animæ* lib. 2. cap. 7. = *anxiatur super eam spiritus ejus*, *& TURBATUR in ea COR illius magnaque commiseratione digna est*. S. Gregorius Moral. lib. 10. cap. 12. = *Sæpe namque tot tentamenta nos obsident*, *ut ipsa nos eorum numerositas pene ad lapsum DESPERATIONIS inclinet*. Scaramellius *in Direct. Mystico tract.* 5. *cap. VII.* in illud *Apost. Datus est mihi stimulus &c.* scribit = *E questo fu altro*, *che assedio Diabolico*, *con cui NON GLI LASCIAVA il Demonio TROVAR QUIETE NE AL DI DENTRO*, *NE AL DI FUORI*. P. Philippus a SS. Trinitate in *Theol. Myst. par.* 1. *tract.* 3. *disc.* 3. *art.* 1. affirmat = *Vix sermone potest etiam ab expertis exprimi quantæ sint hujus noctis angustiæ, quantus horror*, *& quam intima spiritus afflicti tribulotio*; *hæc possunt utcunque declarari propositis S. Scripturæ testimoniis*, *& similitudinibus*. Card. Bona de *discret. spirit. cap.* 13. = docet quod: *Hæc mentis obtenebratio*, *& voluntatis ægritudo est ADEO TERRIBILITER excrucians*, *ut PŒNIS INFERNI SIMILIS esse videatur* = ; & paulo post = *Hoc TERRIBILE TORMENTUM PŒNIS INFERNI ASSIMILANT*, *qui experti sunt. Ejus autem mirabile exemplum habemus in vita* B. Angelæ de Fulgineo &c. *Simili modo probata fuit per totum QUINQUENNIUM in camino tribulationis* S. Magdalena de Pazzis *arida*, *desolata*, *ab omnibus derelicta*, *a Dæmonibus flagellata*, *blasphemiis*, *tentationibus vexata*, *ac USU RATIONIS fere DESTITUTA*. Scrupoli ergo, anxietates, timores, & dubia, quas inter vehementissimas tentationes Ven. senex Alphonsus patiebatur, delicatæ illius conscientiæ puritatem, non vero fatuitatem ostendunt; nisi in verbis ludere velimus, ac puritatis virtutem cum mundi sapientibus fatuitatem appellare; uti advertit S. Gregorius *lib.* 10. *in cap.* 12. *Job.* = ibi = *Ab hujus mundi Sapientibus puritatis virtus fatuitas creditur*.

Quam-

12 Quamquam vero docta ipsa Animadversio in præterita Causæ actione de scrupolis disserens (*a*) fassa ultro fuerit cum Cardinali Friderico Borromeo *quod fieri potest*, *ut ipsi etiam PERFECTISSIMI ita affecti reperiantur*; *quamobrem NON SEMPER VERE dicitur timores insolitos*, *& anxietates illas SCRUPULORUM communi verbo sic notatas ingruere in eos qui sint adhuc incipientes* =; Quamquam eadem sapiens Animadversio cum Asceticorum Magistra *S. Theresia*, *Alvarez de Paz*, & *Gillotto* docuerit (*b*) quod *Deus permittit ut homo in* VIRTUTUM EXERCITIO BENE SOLIDEQUE FUNDATUS *scrupolorum tentatione vexetur*, *ne superbiendo a virtute deficiat*, *sed ut ultra progrediatur*, *præsertim in exercitatione humilitatis*, *patientiæ*, *mansuetudinis*, *charitatis*; Quamquam nos item in superioribus *Responsionibus* (*c*) cum S. Augustino confundendum non esse demonstraverimus timorem *servilem* cum *filiali*; Deique Charitatem, & spiritualem perfectionem, ut illum expellit, hunc amplecti, imo cum isto *introcurrere*; Quamquam *S. Scripturæ* sententiis, *S. Gregorii*, *Contensonii*, & *Benedicti XIV.* auctoritate adstruerimus filialem timorem offendendi Deum *Sanctorum* esse tesseram, ac eorum, qui *conscientiam vere timoratam habent* proprium esse *sese perpetuo accusare* (*d*); Quamquam cum eodem sapientissimo Benedicto XIV. distinctionem tradiderimus inter conscientiam *perverse*, ac *recte* scrupolosam; Quamquam cum præfato Pontifice nostrarum rerum Magistro exposuerimus conscientiæ *perverse* scrupulosæ signa, & effectus esse *inconstantiam cogitationis*, *instabilitatem operationis*, *& diffidentiam de Dei bonitate*; e contra vero V. senem Ligorium inter tentationum procellas, carnisque stimulos heroicis virtutibus in earum *expositione* exhibitis (*e*) floruisse, ac inter ipsas scrupolorum ambages firmam in Christi merita spem, heroicamque in suscepta Evangelica perfectione *perseverantiam* exhibuisse (*f*); Quamquam retulissemus *Sanctos* quoque, ac perfectissimos viros scrupolis fuisse vexatos, præsertim *SS. Dominicum*, *Bonaventuram*, *Ignatium*, *Mariam Magdalenam de Pactiis*, *& Catharinam Januensem*; Quamquam vetustioribus hisce exemplis recentiora addiderimus doctissimi B. Cardinalis *Thomasii*, & *Francisci Olimpii*, quorum alteri, qui *per cinquanta anni* habuit *sempre l'anima crocifissa da scrupoli*, quique *ritornava dal suo Confessore &c.*, *e poi ritornava per motivo di scrupolo*, Apostolica Sedes Altarium honores detulit; Alterum vero, qui ad ultimum usque senium scrupolorum angustiis pressus *giudicandosi sempre colpevole difficilmente potea quietarsi . . . onde apportava gran molestia alli Confessori suoi*, eadem Apostolica Sedes consultissimo Decreto Christianum *Heroem* declaravit (*g*) quibus nunc etiam aliam theothidactam Angelopolitanam Virginem addimus *Mariam de Jesu*, cujus virtutes heroicas edixit Sa. me. Pius VI. quæque *agitata da scrupoli SI CONTURBAVA MOLTO in pensare se la di lei coscienza stava o nò pulita*, *e pura*

(*a*) Præt. Animad. pag. 37. §. 75.
(*b*) Præt. Animad. pag. & §. cit.
(*c*) Præt. Respons. pag. 135. §. 285.
(*d*) Præt. Respons. pag. 133. §. 280.
(*e*) Vide Exposit. virt. ad calcem præt. Resp.
(*f*) Præt. Resp. pag. 136. §. 286. & 287., nec non pag. 139. §. 295. & 296.
(*g*) Præt. Resp. pag. 135. §. 284.

ra (*a*); nec non *B. Nicolaum Factorem*, qui *antequam celebraret* scrupolorum religione *duabus aut tribus vicibus ad Confessarii pedes accedebat* (*b*). Uno verbo: Quamquam ab eorum scrupolorum censura V. Alphonsum vindicaverimus, qui *perversæ* incipientium *conscientiæ* sunt effectus, ac eos quibus ipse ad meritum fuit excruciatus, ab heroico Dei amore ortos fuse solideque probaverimus, ne coctam jam crambrem iterum recoquere cogeremur; tamen iterum nobis objicitur *cum tam gravi scrupolorum morbo consistere non posse perfectionem, virtutumque heroismum; quippe cum status ille scrupolorum ad incipientes proprie pertineat, non ad perfectos, atque heroes*. Sed cur? Quia Scaramellius cum S. Laurentio Justiniano scrupolos appellans *pusillanimitatem internam consumantem fortitudinem*, agit in suo Directorio ascetico *dell'impedimento, che pongono gli scrupoli alla perfezione Cristiana* (Animad. §.9.)

13 Quid profecto portentosum, quid mirum, si Scaramellius post S. Laurentium Justinianum scripserit scrupolos ad perfectionem esse incipientibus impedimento? Imo mirum nisi ita scripsisset. Non unus enim Scaramellius, sed omnes Ascetici suis in scriptis, quibus incipientes ad perfectionem dirigere satagunt, *id* communiter docent. Quid inde? Quorsum id in nostra facti specie? Ascetici enim dum ita scribant, de scrupolis illis sermonem instituunt, qui a timore *servili*, non autem *filiali*, quique a conscientia *perverse* scrupulosa, non autem *recte* scrupulosa, sive *delicata*, ac vere *timorata* suam agnoscunt originem.

14 Atque ut objecto insistam, ita Scaramellius suum de scrupolis tractatum exorditur (*c*) *Credono i mondani, che lo scrupolo sia una DELICATEZZA DI COSCIENZA in temere il peccato vero, e in ischivarlo con molta cautela. Perciò chiaman scrupolose le Persone di TIMORATA coscienza &c. s'ingannano però, perchè LO SCRUPOLO NON E' UNA DELICATEZZA DI COSCIENZA in isfuggire il peccato, come essi pensano, ma è una apprensione vana fondata in leggieri motivi*. Et §.423. ejusdem art.11. exad. cit. = *Quindi è facile il dedurre la diversità, che passa trà il DUBBIO, e lo scrupolo, perchè il dubbio può esser, e il più delle volte è ragionevole, ma non è, ne può esser ragionevole lo scrupolo*.

15 Hisce a Scaramellio præmonitis ea nunc cum nostræ Causæ actis diligenter confer, & agnosces illum de V. Alphonsi scrupolis non instituisse sermonem; Confer, inquam, V. Ligorii *Confessariorum* testimonia, ac præsertim *Ordinarii* sui Moderatoris, & agnosces Ligorii scrupolos totidem esse *dubia* an in minimo Dilectum offendisset in horribilibus illi internis, externisque tentationibus, quibus Dæmon sub visibili specie, vel mulierum ad turpia, vel ingenui viri vel Presbyteri ad diffidentiam de divina misericordia, & ad desperationem fortiter incitabat (*d*). Quamobrem idem Confessarius addebat ei = *coraggio in tali combattimenti &c. diabolische suggestioni, e qual-*

(*a*) Ex testibus relat. in primis Animad. Causæ Angelopolitanæ sup. virt. pag. 11. §. 21.

(*b*) Ex Sum. sup. Virt. V. Nicolai Factor pag. 71. §. 11. & Posit. an. 1742. Animad. p. 4.

(*c*) Diret. Ascet. Tom. 1. trat. 2. art. 11. cap. 1. & 2. exad. cit.

(*d*) Sum. object. pag. 15. §. 13. ad pag. 18. per tot.

qualsivogliano VISIBILI COMPARSE del Demonio ; alias item ipse Angelus Satanæ carnis stimulos ita violenter in annoso Sene excitabat, ut fidem excederet quomodo caro tam sæviter luxuriare potuerit *in un vecchio di quasi NOV'ANT' ANNI, debole, esinanito, infermo, che più non reggevasi in piedi, e poteva dirsi senza esaggerazione UN CADAVERE PARLANTE* (a), quod quidem Dæmonis opus certissime ostendit; ut bene ponderat Cornelius a Lapide in Ep.2. ad Cor. ibi = *Dæmon humores commovendo, sanguinem accendendo, spiritus generationi subservientes excitando, & inflammando PAULI phantasiæ turpes imagines objiciendo, CONCUPISCENTIAM QUASI SOPITAM, TOTQUE LABORIBUS, INEDIIS, ÆRUMNIS PENE MORTIFICATAM SUSCITABAT, & ad turpes libidinis motus commovebat, & acuebat*; Attamen licet ipse Scaramellius in *suo Directorio mystico*, ut superius innuimus de Paulo scripserit quod = *non gli lasciava il Demonio trovar quiete ne al di dentro, ne al di fuori*, nunquam tamen somniavit asserere has Pauli angustias, timores, ambages fuisse inanes scrupolos INCIPIENTIUM proprios, *che pongono impedimento alla perfezione cristiana*, sed *in cit.direct.trat.4.cap.7.*aperte scribit = *E qui si noti, che fù dato a S.Paolo quest' assedio Diabolico affine di CONSERVARE in lui, ed ACCRESCERE lo spirito di STRAORDINARIA CONTEMPLAZIONE, come egli stesso attesta dicendo = NE MAGNITUDO REVELATIONUM EXTOLLAT ME, datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus Sathanæ qui me colaphizet.*

16 Ulterius perge: Scaramelius in Ipso objecto *Direct. ascetico loco exad. cit.* docet *che lo scrupoloso è come un cavallo ombroso &c. s'inalbera, da addietro, ricalcitra, non obbedisce più al freno, ed allo sprone di chi lo regge &c. vinto dall' interna agitazione dell' animo NON OBBEDISCE PIU' AL CONFESSORE, che lo regge, ne alle persone dotte, che lo consigliano*. E contra Ligorius = *ne suoi scrupoli, aridità, e desolazioni di spirito sempre si mandava a chiamare i suoi Direttori, e Confessori, e DA QUELLI DIPENDEVA CIECAMENTE = colla loro benedizione SUBITO SI DAVA PACE con cieca perfetta obbedienza = bastava la sola obbedienza a RASSERENARLO PERFETTAMENTE = obbedì, ed eseguì i loro ordini COME se fosse stato UN RAGAZZO di quattro, o cinque anni* = imo non uni eorum voci, sed item scripto prompte parebat = *faceva Egli scrivere i scrupoli sopra una cartuccia &c. quando vedeva, che uno de suoi Direttori di proprio carattere li mandava l'ordine &c. Egli allora SENZA REPLICA eseguiva con pace, e quiete il comando* (b). Hiccine scrupolosus a Scaramellio descriptus?

17 Aliud præterea signum conscientiæ *inaniter*, ac *perverse scrupulosæ* Scaramellius tradit loc. exadv. cit. §.437., ac est, quod *la speranza, che è l'anima di tutte le virtù viene soffogata, e grandemente indebolita da scrupoli . . . . vi accorgerete esser pur troppo vero ciò che disse S. LORENZO GIUSTINIANI, allorchè parlando de scrupoli chiamolli* „ pusillanimitatem internam consumantem fortitudinem „

 Nova

(a) cit. Sum. Object. pag.17.§.18., & p. 19. §.25.

(b) Eposit. virt. tit. de Obedient. pag.107 & 108, a §. 205, ad 208.

Nova haud est hæc animadversio, sed præmature jam a nobis oppugnata, imo vero pro nostra Causa strenue propugnata, cum *ex Benedicto XIV.* scripsimus conscientiæ *perverse* scrupulosæ esse signa *inconstantiam*, *instabilitatem operationis*, *diffidentiam de Dei bonitate*. Tanta scilicet est hujusce Causæ firmitas, ut qui eam impugnare contendat nobiscum una conveniat; imo nova præsidia ministret, quibus ea tutius fulciatur, solidiusque consistat. Ipsum mehercule appello *Summarium objectionale* in quo Censor omnes internos, externosque Ligorii tentationum incursus, & scrupolos diligenter collegit. Si profecto quis in eo eventum vel unum invenerit, in quo heroica Ligorii spes, aut *soffogata* legatur, aut *grandemente indebolita*, vel ejus legatur fortitudo *consumata*, tunc poterit Scaramellii, ac S. Laurentii Justiniani sententiam Ligorii scrupolis aptare. Quoniam vero sacri hujusce Antistitis scrupoli, seu potius *dubia*, & *timores* offendendi Deum, quin heroicam ejus spem quoquo modo extenuaverint, potius aluerunt; quippequi eam insidianti hosti strenue fortiterque objecerit *(a)*; ejusque heroicam *Fortitudinem* in omnium exercitatione virtutum usque ad obitum iidem scrupuli quotidie magis auxerint *(b)*; Hinc S. Laurentii Justiniani, & Scaramellii doctrina de inanibus scrupolis locum in hac Causa non habet, in quo consistat.

18 Equidem obruor, Patres Sapientissimi, rationum momentis, quæ ab ipso Scaramellio undequaque petere possem, quibus aperte constat id ipsum docere, ac alios Theologos a nobis allatos, scilicet unam conscientiam *perverse* scrupolosam ad perfectionem esse impedimentum; *Delicatam* vero, ac *recte* scrupolosam, utpote quæ puriorem animam reddit, & in Dei amore magis magisque solidatam, ad perfectionem præsidium esse, & incitamentum. Sed vereor, ne in demonstrata re vestra tempora morer. Cœtera ergo tacitus prætermittam, ac illud unum proponam, ex quo cætera percipiatis, ipsum Scaramellium docere *(c)* scrupolos, alios esse a *natura*, alios a *Demone*, alios tandem a *Deo*, qui ut ipse scribit, *n' è cagione negativa, in quantochè* SOTTRAE ALL' ANIMA LA SUA LUCE, *con cui discernerebbe ella con chiarezza ciò ch' è peccato, e ciò che tale non è, nel modo che il sole genera la notte al nostro Emisfero &c. Così sappiamo, che* MOLTI SANTI *sono stati da queste interne molestie grandemente angustiati. Come* S. BONAVENTURA, *che intimorito soverchiamente da scrupoli lasciava alle volte passare molti giorni senza accostarsi all' Altare per celebrarvi il Sacrificio incruento. Come* S. IGNAZIO DI LOJOLA ... *come del* VEN. IPPOLITO GALANTINI, ... *di* S. LUITGARDE *si legge, che fu travagliatissima da scrupoli nel recitare il divino officio; Tornava a ripetere l' istessa ora canonica due, e trè volte, ne parendole con tutte le diligenze, che adoprava, di aver sodisfatto al proprio dovere* NON RIMANEVA MAI CONTENTA, E QUIETA.

19 Quænam ergo causa, quæ ratio impedit, ne concludendum sit V. Ligorii scrupolos iisdem notatos signis, & argumentis, ac illi aliorum

San-

(a) *Exposit. Virt. pag.* 37. §. 55., *& tit. de spe*, nec non in ipso Sum. Obj. pag. 4. init. §. 7. in fin. & 8. p. 16. §. 14. ad 15. p. 17. per tot.

(b) Sum. Infor. pag. 602. & seqq. num. 27. cui tit.: Fortitudo ex perseverantia usque ab obitum &c.

(c) Tom. 1. *trat.* 21. *exadv. cit.* §. 424. ad 433.

Sanctorum, a permittente Deo processisse? Imo vero nemo contrarium sentire, vel affirmare unquam poterit, nisi ab *Expositione virtutum*, quæ Alphonsum inter hujusmodi scrupolos SANCTUM, & HEROEM in singulis virtutum actibus exhibet, mentem, & oculos consulto avertat. Jure ergo sodales Confessariique Ejus hanc scrupolorum Crucem, sive *spiritus ariditatem* & luminum subtractionem, qua aliorum ipse director eximius inter tentationes, & spectra se ipsum dirigere nequibat, a permittente Deo in Alphonsum immissam existimarunt ad ejus innocentissimam animam tamquam aurum in fornace probandam = *Fù posto dal Signore in cimento, e nel crocciolo della tribolazione*: Sum. Object. pag. 14. §. 7. = (en tribulationis species) *tentato di diffidenza, di disperazione*, ARIDITA', E DESOLAZIONI DI SPIRITO pag.15.§.10. = PRIVAZIONE DI LUMI, *tentazioni di ogni genere* pag.16.§.14. in fin. = *diaboliche suggestioni*, VISIBILI COMPARSE DEL DEMONIO; pag.18. in fin. = *pesantissime Croci di tentazioni, scrupoli*, ARIDITA', TENEBRE, *e desolazioni di spirito*.

20 Tesseram tandem potissimam scrupolorum, quos Deus ad purgandas animas permittit, objectus Scaramellius illud esse affirmat *cit. tratt.* 11. §.431. quod = *I scrupoli di queste anime* NON SOGLIONO ESSER PERPETUI, *perchè Iddio hà detto, che* non dabit in æternum fluctuationem justo *Psal.*53.23. = Oh quàm bene doctrina hæc Alphonsi scrupolis quadrat! Nam *dove prima veniva agitato da scrupoli &c. appena fù sorpreso dalla sua ultima infermità questi* CESSARONO, *e si vide il Servo di Dio in una* TRANQUILLISSIMA PACE *sino alla morte, onde damandato da me nella sua ultima infermità* SE AVEVA SCRUPOLI, RISPOSE DI NO'; verba sunt postremi Ejus Confessarii *in Exposit. virt. pag.*143. §.325. *tit. de Obitu*. Impleta nimirum est ipsius Dei promissio, qui timentes se post pugnas, post molestas vigilias placido tandem somno, & tranquillitate coronat; juxta illud Eccl.1. *Timenti Deum bene erit in extremis*; & Psal.126. *Cum dederit dilectis suis somnum, hæc est hæreditas Domini*. Et Prov.23.18. *In timore Domini esto tota die quia habebis spem in novissimo*. Patet itaque propositam censuram eo spectasse dumtaxat, ut etiam ex *Scaramellio* probaremus quod jam ingenua ipsa Animadversio ex S. Theresia aliisque Asceticis aperte innuerat, ego vero ex scripturæ locis, ex PP. sententiis, ex Benedicto XIV. ex S. Sedis Decretis jam fuse probaveram; Hæc vero Decreta in Causis *B. Card. Thomasii, Ven. Francisci Olimpii, Ven. Mariæ a Jesu, & B. Nicolai Factoris* QUADRUPLICEM constituunt REM JUDICATAM, ita ut hæc animadversio in medium amplius nequeat afferri, uti statuit Innocentius II. relatus a S. Bernardo *Epist.*194. ibi = *Injuriam facit Rmœ Synodo si quis semel judicata disputare contendit*; & firmat Abbas *in cap. de coetero num.*5. *vers. posset tamen &c. de re judicata*. Felin. *in Cap. Pastoralis* §. *quia vero num.*17. *de off. Delegati*.

21 Et si vero, invitis nobis, rationum ubertas, & objecti Scaramellii præceptorum copia longiorem, quam voluntas ac necessitas tulerit, orationem reddiderit; deesse tamen muneri videremur, nisi vobis AA. PP. animadvertendum proponeremus ex hujusmodi timore Deum offendendi, quem *scrupulos* improprie in Alphonso appellamus, *Theologales Virtutes* mirifice comprobari; videlicet FIDEM,

 qua

qua licet ipse singulis tentationibus restitisset (*a*) tamen probe sciens nescire hominem *utrum amore*, *an odio dignus sit*, ut in *Eccl.*9. 1, Deumque plura, quam conscientiam nostram videre, juxta illud Apost. ad Cor.4. = *nihil mihi conscius sum*, *sed non in hoc justificatus sum*; humilis hærebat in anxietate, ac sollicitudine, ut cum *timore*, *ac tremore* salutem suam operaretur, juxta Pauli monitum *ad Philipp.* 2. 12. = Unde bene docet Cornel. a Lapide in Eccli, 25. 16. = quod = VIVA FIDES *vivum elicit acuitque* TIMOREM. Micat etiam heroica SPES, quum inter ipsas desperationis tentationes a Dœmone suggestas scrupolosque, stabilis, & constans in Christi meritis, ut superius innuimus, totam fiduciam suam reposuerit, speque exultaverit. Scribit enim S. Gregorius Moral. *lib.* 5. *cap.*17, *in fin*, quod = *Sancti Viri*, *sic spe exultant*, *UT PAVORE TREPIDENT*; *sic pavore trepidant*, *ut SPEI fiducia exultent.* Fulget heroica in DEUM CHARITAS, qua (ut perfectissimi amoris est) verebatur ne aliqua in re imprudens, ac nolens inter horribiles illas, impurasque inferni hostis aggressiones dilectum suum offendisset; ut recte Cornelius a *Lapide* loc. cit. = *Quem enim amamus eumdem offendere TIMEMUS*. Fulgent denique Virtutes omnes, non modo Theologales, sed etiam Cardinales.

DE SESSIONE, ET USU FISTULÆ IN DOMINICI SANGUINIS SUMPTIONE

22 Cum subit illius acerbissimi MARTIRII imago, quo bonus Pastor Alphonsus animam suam ponens pro ovibus suis, ex arthritide a divini verbi prædicatione suscepta contortis colli musculis *per decem*, *& septem annos* usque ad ultimum vitæ spiritum *ita caput ad pectus inclinatum* tacitus pertulit, *ut illud erigere nulla ratione posset* (*b*) singularis, heroica, ac Jobi æmula PATIENTIA sese dat intuenda, qua sanctissimus hic vir apostolicum cursum invictissime consumavit; ac sui Magistri exemplo, qui *inclinato capite emisit spiritum*, gloriosissime coronavit (*c*). Ex hac tamen ipsa miseranda Dei Famuli imagine alter ex Sapientissimis Patribus censuram sumit, qua fortissimo Heroi succenseat, quod *l citum sibi putavit sine Apostolico indulto Dominicum sumere sanguinem in sacrificio Missæ non modo sedendo*, *sed*, *quod est etiam gravius*, *altero Presbytero sibi in calicis sumptione ministrante*) Animad. §.10.

23 Tota vero hujusce censuræ ratio in eo potissimum sita est, quod obstipi colli vitium irregularitatem induceret. Rem itaque juxta Canonicas Regulas a Doctoribus traditas, ad trutinam revocemus.

I. Ea est apud omnes Canonistas certissima regula ab ipsis deprompta Pontificum Decretalibus, nullam contrahi irregularitatem, nisi in casibus a Jure expressis, uti aperte legitur in ipso Textu *Cap.*35. *Qui*, *de Sent. Excom. in* 6. = ibi = *Irregularitatis* (*cum id NON SIT EXPRESSUM IN JURE*) *laqueum non incurrit*; nec non Innocentius *in cap. ad audientiam*, & cap. *significasti*; & cap. *nisi cum pri-*

(*a*) In Sum. Obj. passim, & in Exposit. Virt. pag. 30. §.44. pag.37. §.55. pag.120. §.236.

(*b*) Animad. §.10.

(*c*) Exposit. Virt. pag.123. §.243.

pridem de renunc. §. *juxta vers. Defectus autem* , *& vers. Nunquid*; Idque omnes omnino Doctores docent cum Fagnano *in Cap. Si quis Presbyter de Cler. excom. ministr. num.*3. = ibi = *Irregularitas non incurritur* , *NISI IN CASIBUS IN JURE EXPRESSIS* , *Unde qui dicit aliquem irregularem debet dare casum juris*; ac rationem affert *in seq. num.*2. = quia = *cum odiosa sit* , *& pœnalis* , *restringenda est,NON LAXANDA*; *Cap.Pœnæ de Pœnit. Dist.*1. *Cap. odia de Reg. Jur. in* 6. Quamobrem cum inter vitia in Jure expressa , quæ irregularitatem pariunt , quæque enumerantur *Can.*2, *Hinc etenim Dist.*49. non legamus *obstipi colli* vitium , consequens est V. Alphonsum qui eo laborabat , irregularitatem nullam incurrisse ,

II. Allata vero regula tam certa est , ut alia hæc ex ea , necessaria veluti illatione , sequatur, quod *in dubio* , an quis irregularitatem incurrerit *negativa* tenenda sit , ceu omnes omnino Canonistæ docent cum Wan-Espen *in Jus Can. part.*2. *de Irreg. Tit.*10. *num.*7. Paulo Borgasio *de Irregul. p.*1. *q.*3. *p.*7. *num.*10. Card. Jo. de Imola in *Clem. de homic.* = ibi = *In dubio semper Judex debet judicare quem NON ESSE IRREGULAREM* , *quam contra*; & Gibellin. de Irregul. *cap.*4. *consect.*3. *num.*21. *in fin.* ibi = *Cum nulla contrahatur Irregularitas nisi in casibus in Jure expressis & nullibi Jus dicat in dubio facti incurri irregularitatem præterquam in casu homicidii &c. certum esse debet NULLAM aliam IRREGULARITATEM, quam homicidii IN DUBIO CONTRAHI* . Ergo etiamsi dubium V. Alphonso occurrisset , quod tamen præ sua doctrina nunquam occurrit , an obstipi colli vitium irregularitatem pareret , negativam sententiam juxta Canonicas regulas amplecti debebat , nullamque proinde petere dispensationem ,

III. Irregulares censendi sunt , qui vel absolute nequeunt ordinem exercere , vel non sine adstantium horrore ; veluti post alios docet Anacletus Reinffenstuel *lib.V. Decret. Tit.*37. *de Pœn.* §.4. *de Irreg. num.*80. ibi = *Censentur irregulares ex defectu corporis qui ita sunt corpore vitiati* , *ut vel ABSOLUTE non possint peragere Ordinis ministeria* , *vel non sine aliorum horrore* ; *ita desumitur* Ex can. *Illitteratus Dist.*39. *&c.* Cap. *Presbyterum Tua Nos de Clerico ægrot.* Neutrum in Alphonsi casu eveniebat , Is enim ob colli vitium non *absolute* impediebatur quominus Christi sanguinem e *calice* sumeret . Sumere enim poterat si privatim celebrans eo momento sederet , Tantum vero abest , quod hæc actio adstantibus esset horrore , ut potius eos ad devotionis , & venerationis sensus excitaret ; ceu ipsi de facto proprio deponunt (*a*) *Quando sumeva il sagro sangue seduto &c. mi sentiva TUTTO INTENERITO* , *e mi sembrava il SANTO CELEBRANTE PIU' ANGELO, CHE UOMO* = *Quando lo vidi sumere il Sagro Sangue seduto ad una sedia &c. non potei fare a meno di sentirmi tutto commovere per la TENEREZZA* , *E VENERAZIONE* = *Dopo la sunzione del corpo* , *e sangue di Gesù Cristo lo vedeva io alle volte quasi fuori di se rapito in un DOLCE DELIQUIO DI AMORE* .

IV. Itaque merito Canonistæ docent scandalum definiri non posse absolute , sed respectu qualitatis personæ , ita ut quod scandalum in aliquo parit , in alio ædificationem causat , & devotionem ; ceu post alios

(*b*) In Exposit.virt. de char. in Deum p.60. & seq. §.94. & 95.

alios tradit Wan-Espen (a) *Indubitatum est quod adeo possint eminentes esse in aliquo qualitates, seu quoad mores, seu quoad doctrinam, & zelum, ut defectus corporis, qui alias offensionem populi pareret, ob hasce eminentes qualitates non causaret*. Patet ergo, quod etiamsi obstipi colli vitium in alio Sacerdote offensionem populi parere potuisset, ac ideo irregularitatem inducere, haud in V. Alphonso parebat, tum quia in privato suo Oratorio Populus non adstabat, neque unquam publice celebravit (b); tum quia in eo præsertim demirabantur omnes incensam ejus in Deum Charitatem, quod illud ipsum obstipi colli tormentum, quod alium quemquam a quotidiana missæ celebratione retardasset, promptiorem ad id reddebat Alphonsum (c). Quamobrem unus ille, vel alter qui præter ministros sacrificanti Ligorio aderant, consulto illuc conveniebant, ceu ipsi fatentur = *venivo per lo più apposta dalla mia Casa = non tralasciavo di venire a bella posta quasi ogni mattina per assistere alla di lui Messa* (d) ac ideo conveniebant, ut ad teneras pietatis, & devotionis lacrymas commoverentur; uti superius probatum est.

V. Quamobrem is, qui ad ordinis exercitium absolute non impeditur, si *sine* scandalo celebrare valeat nullam irregularitatem incurrit per Textum expressum in *Cap.I. de corpore vit.*, ubi de Presbytero, qui notabili sua culpa partem digiti amiserat, respondet Alexander III. *cum ipse non perdiderit tantum de digito quin SINE SCANDALO possit solemniter celebrare satis potes &c. permittere ipsum in suo ordine ministrare* = ac ibi Perinch (e) scribit = *quamtumvis non sine culpa sua amisit, ita tamen, ut ABSQUE SCANDALO celebrare possit, NON CENSETUR IRREGULARIS*, & Wan-Espen loco cit. (f) *Manifestum est Pontificem &c. NULLAM JUDICASSE HABENDAM ESSE RATIONEM DEFECTUS digiti eo quod non perdidisset tantum de digito, quin SINE SCANDALO posset solemniter celebrare*. Cum ergo V. Ligorius non tantum perdidisset de colli usu, ut ministrante sibi Presbytero Christi Sanguinem e Calice, aliorum instar Presbyterorum, sumere non posset, & sine scandalo privatim celebrasset, consequens est ex ipsa Pontificii Textus *littera* haud fuisse irregularem; propterea que, ut doctum decebat Episcopum, recte existimasse nulla ad id opus habere dispensatione.

VI. Cum hac profecto Regula apprime convenit alia practica, quam tradunt Quartus, & Pasqualigus ad quos egregia nos Animadversio provocabat (g) scilicet ob phisicum impedimentum omitti licite posse absque dispensatione aliquem Rituum a Rubricis præscriptum in privata Missæ celebratione. Quartus enim quærens an Sacerdos, *qui genuflectere non potest ob tumorem, vel simile impedimentum in genibus excludendus sit ab Altari, vel excusari debeat ratione infirmitatis ab hoc ritu servando, & sic LICITE celebrare*: Respondet = *Posse LICITE Sacerdotem prædicto modo impeditum Sacrum facere. Potest autem facile removeri scandulum, si IN PRIVATO* SA-

(a) Oper. Canon. part.2. tit.10. de Irregul. cap.5. num.16.
(b) Præt. Resp. pag. 112. §.236. n. II.
(c) Exposit. virt. pag.58. §.90.
(d) Cit. Exp. virt. pag.60. §.94; 95.
(e) In V. Decret. Tit. XX. de Corp. vit. §. IV.
(f) Op.Can. part.2. tit.10. de Irr.c.5. n.9.
(g) Præt. Animad. §.60.

SACELLO celebretur Missa. Probatur; quia hic ritus genuflectendi in Missa, quamvis gravis sit, NON EST *tamen* ADEO NECESSARIUS, *ut non detur* CAUSA EXCUSANS; *Videtur autem* INFIRMITAS CAUSA JUSTA, *& sufficienter excusans quando de est scandalum. Confirmatur; quia* PRIVARI NON DEBET *Sacerdos* JURE CELEBRANDI QUOD POSSIDET *nisi constet de prohibitione. Sed* NON CONSTAT *illud impedimentum* INDUCERE IRREGULARITATEM, *aut suspensionem, vel in præcepto genuflectendi in Missa non admitti causam excusantem. Ergo &c.* Pasqualigus vero de Sessione Sacerdotis in Missa scribens concludit = *Si vero non indigeret continua sessione &c*, NON ESSET ADEO IMPOTENS, *quia tota Missa stare posset* (*a*). Ergo si Sacerdos physice impeditus ad servandum Rubricæ præceptum genuflectendi in Missa non est irregularis, quia infirmitas est causa excusans, qua licite, & absque ulla dispensatione Missam celebrare valeat in privato Oratorio ad scandalum removendum, quin ritum genuflectendi servet, licet a Rubricis sit ille præceptus, & licet gravis sit ob reverentiam sacrosancto mysterio debitam: ita a pari obstipi colli vitium irregularitatem nullam in Ven.Alphonso gignebat, nullaque is indigebat dispensatione ad faciendum Sacrum in privato Oratorio, etiamsi servare non posset standi ritum in una tantummodo calicis sumptione; tum quia infirmitas erat causa justa, & sufficienter excusans ab observantia hujus Rubricæ, quæ unam respicit reverentiam, tum quia momentanea Sessio in Missa juxta Pasqualigi sententia permissa est; tum denique quia privari non debet Sacerdos, multoque minus Episcopus, jure celebrandi quod possidet.

VII. Et re quidem vera tanti faciendum est jus celebrandi quod Sacerdos possidet, ut ea ipsa corporis vitia, quæ ante ordinationem irregularitatem pariunt, non pariant si jam promoto superveniant; uti expresse statutum legimus *Can. Præcepta Dist.* 55. = ibi = *Præcepta Canonica quibus Ecclesiastica regitur disciplina sicut non patiuntur venire ad Sacerdotium debiles corpore, ita si quis in eo fuerit constitutus, ac si tunc fuerit sauciatus*, AMITTERE NON POTEST; *quod tempore suæ sinceritatis ACCEPIT &c. Nec enim convenit ob hoc auferri ante susceptum ordinem in quo postmodum in invaletudinem corporis casu probatur faciente prolapsus.* Cæteris autem omissis, exemplum unum proferam, quod propius ad rem nostram spectat a doctissimo Suaresio relatum (*b*) *Hoc sensu intelligendum censeo quod dixit Glossa* 2. *in cap.* 1. 85. *dist.* = *Senectutem impedire promovendum, NON tamen DEJICERE PROMOTUM. Nam postquam aliquis ordinatus est; licet præ nimia senectute non possit comode ministrare, permittitur ut cum* ALIQUO ADJUTORIO *vel* COMODITATE *quasi dispensatioria possit ministrare; argumento Cap.* illud, *& Cap.* Petiisti *cum aliis* 7. quæst. 1. *& Cap.* litteras de *Renunciat*.

24 Res clara est, nec ulla indiget explanatione. Etiamsi V. Ligorius obstipo collo minime laborasset, nihilominus ob ipsam unam senectutem, quæ morbus est, *cum aliquo adjutorio, vel comoditate* Sacrum facere potuisset. Curnam ergo non poterat quia ad senectutis, obsti-

(*a*) Locis cit. in præt. Resp. p. 115. §. 240. per tot.

(*b*) De Censuris Disput. 51. de Irregul. part. 1. Sect. 2. num. 5. in fin.

stipi etiam colli accessit incomodum? Attamen Juris Regula est, quod *plus, semper in se continet, quod est minus* (a) Imo si simplex Sacerdos senex, non apostolico indulto, sed comoditate dispensatoria, ut Suaresius ait, adjutorio, sive ministro in Missa uti potest, curnam non poterat *Episcopus*, qui non comoditate dispensatoria, sed JURE SUO, non tantum uno, sed DUOBUS ac etiam TRIBUS MINISTRIS, seu Cappellanis in privata Missæ celebratione uti potest? Ita enim præscriptum legimus in Cœrem. Episcoporum Cap. XXIX, cui tit. *Episcopus Missam privatam celebraturus &c. num. 2. & 6.* ibi = *valde conveniens esset, ut DUOS SALTEM Cappellanos cottis mundis indutos apud se MINISTRANTES haberet, Si erunt TRES Cappellani poterunt &c.* Si alii Episcopi jure proprio duos ac etiam tres sibi ministrantes habere possunt, cur Ligorius *uno* tantum uti absque criminatione non poterat?

VIII. Neque intra unius senectutis limites allata regula coercita est, sed ad ipsos quoque lunaticos, epilecticos & furiosos extenditur. Iis enim Missæ celebratio jure permittitur dumodo sine Sacramenti periculo fiat; Ad hoc autem arcendum periculum statutum est, ut celebrans socium Sacerdotem adhibeat, qui Missam perficiat, si forte illi morbo correpti nequeant *Cap. illud 15. & seqq. Caus. 7. quæst. 1.* Ubi Perinch (b) *Si furiosus, & Epilecticus non omnino liber sit, si tamen raro cadat in terram nec spumas evomat, privatim potërit celebrare ADJUNCTO SOCIO SACERDOTE, qui Missam perficiat* (nota qui Missam perficiat) *si forte morbo eum corripi contingeret*. Idem docet Reinffestuel (c) *Si morbo caduco laborans raro cadat &c. privatim celebrare potest ADJUNCTO EI SOCIO SACERDOTE, qui Missam prosequi possit, si alter deficiat* = Idem Suarez, qui scribit (d). *Si autem erant jam ordinati distinguendum est &c. Si rarus est eventus &c. non propterea privantur omnino ministerio sacrificandi* PRÆSENTE COADJUTORE, *qui supplere possit defectum si contingat, & servatis tali loco, & tempore, in quibus omne cesset scandalum, quæ resolutio sumitur ex Cap. 1. &c. Estque rationi consentanea. Nam in ea habetur ratio decentiæ, & reverentiæ Sacramenti &* JURIS, *ac* SOLATII *Sacerdotis* SINE CULPA PATIENTIS, *quando* SINE PERICULO *Sacramenti fieri potest*. Idem tandem docent Navarrus (e) Avila (f) Layman (g) aliique omnes Canonistæ, atque Theologi.

25 Ex iis vero luculentissime liquet nonnisi corporis vitia, quæ in Jure expressa sunt, Irregularitatem parere, cætera vero si post Sacerdotis ordinationem supervenient, ratione *juris*, & *solatii* tali vitio sine culpa patientis, eum a Sacrificio minime impedire dummodo *scandalo*, & Sacramenti *periculo* consulatur. In nostra facti specie utrique circumstantiæ juxta ipsas Juris regulas satis abunde consultum erat. Deerat quidem scandalum, quia Ligorius post vitii collum numquam amplius publice, sed privatim celebrabat. Deerat Sacramenti periculum, quia Christi sanguinem sumebat e Calice *coll'assisten-*

za

(a) Reg. Jur. 35.

(b) In cit. lib. V. Decr. de corp. vit. §. 5.

(c) Lib. 1. decret. Tit. 20. de Corp. vit. num. 19

(d) De Censuris Disput. 51. de irregul, Sect. 1. num. 6. de Epilecticis, & Lunaticis,

(e) Cap. 27. num. 203.

(f) Dict. 3. Dub. 4.

(g) Lib. 1. Tract. 5. part. 5. cap. 7. num. 2.

za di un Sacerdote SENZA IL MINIMO PERICOLO *di effusione* (*a*). Quod si Sacri Canones hanc potestatem in simplici Sacerdote ad eventum usque protraxere, quo ipse offerat, & consecrationem peragat, alter vero, scilicet minister, Sacram Hostiam, & Sanguinem sumat, ceu hactenus de lunaticis, epilecticis, & furiosis exposuimus; quis nam ministrum V. Antistiti deneget, qui jure suo *duobus* ac TRIBUS uti poterat, quique non in eo versabatur periculo, quod ipse celebraret, minister vero Sacrificium implere, sive Hostiam & Sanguinem sumere debuisset, sed is per se omnia peragere valebat? Judices certe ipsis Legibus severiores esse prohibentur *Leg. Respiciendum ff. de Poenis*, *Leg. constante n. 5. ff. solut. Matrim. &c.*

26 Si vero in optima Causa liberaliter agere, ipsis legibus severiores esse, ac novam irregularitatis speciem Pontificio Juri incognitam cudere liceat, fingam, V. Ligorium Apostolica dispensatione indiguisse; fingam scilicet, hanc ejus actionem absque indulto a Sacris Canonibus esse dissonam, quid inde? Ea ne tanta esset, quæ a sacris Aris Alphonsum arceret? Negat Sapientissimus Pontifex Benedictus XIV. nostrarum rerum facile princeps, quippe regulam servandam proponat *Lib. 3. cap. 41. num. 13.*, cujus ope TUTUM *ferri potest* JUDICIUM *de gestis Servorum Dei*; *scilicet actus humanos bonitatem ab* OBJECTO, *a* CIRCUMSTANTIIS, *& a* FINE *operantis desumere*, quam quidem regulam præ oculis præsertim habendam docet seq. num. 18. = *Si aliquis actus occurrat a Canonicis Regulis dissitus*, eamque extendit etiam *num. 20. ad res insolitas*, *& a comuni usu remotas*, *quæ aliquando occurrunt in examine Virtutum Servorum Dei*. Causa certe curvationis colli fuit exercitium Episcopalis sui ministerii; arthritis videlicet ex Missionum laboribus obventa. Finis in quem ipse intendit Ministro utens in Calicis sumptione fuit, ut privatim Sacrificium, quod secus nequibat, pro suo populo offerret, & a quo heroica in Deum Charitas sine sua culpa arceri eum non sinebat. Circumstantiæ illius celebrationis erant I. singularis ejus reverentia, qua licet Episcopus in faciendo Sacro haud utebatur pileolo; II. Exacta Rubricarum observantia, qua licet annosus Senex, totisque artubus excruciatus ad suppedanei usque crepitum genuflectebat *come un pezzo di piombo con somma sua pena*, *ed incommodo* III. Heroicus ille fervor, & divini amoris flamma, qua apparebat *acceso*, *come Serafino* = *in estasi col volto infiammoto*. IV. Supernaturalis illa agilitas, qua corpore iners, licet ante Consecrationem ad se se movendum, & genuflectendum alieno indigeret fulcro, *fatta la Consegrazione acceso nel volto in aria di Serafino tutte le genuflessioni le faceva da se senza ajuto di altri*, *come se fosse stato in perfetta salute*. V. In sumendo e Calice Christi sanguine adeo adstantes commovebat, ut ipsis videretur *il Santo celebrante più Angelo che Uomo*. VI. Sumpto Christi sanguine videbatur *fuori di se rapito in un dolce deliquio di amore*. VII. Peracto Sacro inter agendas gratias apparebat *col volto acceso in aria di Serofino elevato sopra se stesso*, *e rapito verso il Cielo quasi in estosi omorosa stando seduto*, *come se qualcuno lo avesse dalla Sedia sollevato*, *ed egli faceva forza anche col-*

(*a*) Præt. Resp. pag. 107. §. 221. & 222., & in Sum. passim.

li piedi à mantenersi, e pareva tante volte il suo spirito à voler sollevare il suo corpo (*a*).

27 Si hæ non sunt circumstantiæ, quas Benedictus XIV. aptas proponit ad *tutum* judicium ferendum de *bonitate* actus, quænam erunt? Si hæ tanti valent, ut ipsam cohonestent actionem a Sacris Canonibus dissitam, quanti nam valebunt ad ostendendam sanctitatem actionis ab ipsis Canonibus *permissam*, proindeque licitam? DEUS ipse falli, & fallere nescius testis vobis est AA. Judices de hujusce actionis sanctitate, quam per cælestium donorum linguam probavit, sibique gratam patefecit, uti ad rem ponderat Benedictus XIV. *lib.* 3. *cap.* 26. *num.* 12. = ibi = *Deus ipse qui mirabilis est in Sanctis suis nonnullis supernaturalibus signis QUAM SIT SIBI suorum servorum GRATA, ET ACCEPTA oratio manifestare dignatus est*. Verbo concludam: Hæc V. Alphonsi actio *vel* Sacris Canonibus non adversatur, ceu luculenter probatum est; *vel* si adversari fingas, ex probatis, Canonizationi non obstat.

28 Hisce tum in *jure*, tum in *facto* firmatis nullo modo movemur argumentis quæ docta animadversio nobis objecit §.10 & 11.; Ac primo quidem in casu versamur longe dissito ab iis, de quibus agebatur apud S. Congregationem Concilii in *Comen. Irregularitatis* 8. *Aprilis* 1785., & in *Barchinonen.* 2. *Julii* 1801. In iis enim Patres irregularem dixere non *Presbyterum*, ut animadversio scribit, sed Clericum, & Diaconum, qui in aliquo membro, puta in genu, virium patiebantur debilitatem (*loco exad. cit.*) Patet vero ex Regulis VI. VII. & VIII. superius traditis ea corporis vitia, quæ Clericum ad suscipiendos ordines, eadem non Presbyterum ad exercendos impedire. In *Barchinonensi* autem res erat de *Diacono*, qui ob cruris vitium *nullo pacto flectere* valebat. Quum vero ad Presbyteratus ordinem promovendus adhuc esset dispensatione indigebat; secus vero si vitium sibi jam promoto supervenisset. Quamobrem recte paulo ante Pasqualigus docebat, Presbyterum *ob impedimentum in genibus*, si privatim celebret ab Altari non esse excludendum, *quia privari non debet Sacerdos jure celebrandi quod possidet.* Imo vero in eadem Barchinonensi, licet Orator non adhuc Presbyter foret, tamen PP. Sacri Concilii Interpretes respondentes proposito dubio, *an sit consulendum pro dispensatione?* non modo legem nullam promovendo Diacono indixere *privatim* dumtaxat celebrandi, sed usi sunt clausula *ad cautelam*, quæ absolutam dispensationis necessitatem excludit; ut in *C.* 1. *de Rescript.*, ibique *Glossa*, & Interpretes communiter.

29 Sic item in *Comensi* dispensatio petenda erat, tum quia Orator non Presbyter, sed simplex erat Clericus ad ordines promovendus, tum quia sua culpa ita *dexteræ* manus lesæ, & partim *detruncatæ* usum amiserat, ut, indice tantum & pollice superstitibus, patenam post Hostiæ consecrationem nonnisi *sejunctis digitis* contra Rubricas pertractare valebat, quod fieri omnino nequit, nisi iis per purificationem ablutis, qua a *fragmentis* mundentur; eoque in eventu *DETRUNCATAM MANUM exhibebat* (*b*) itaut casus videretur similis ei, qui *expressus* habetur in Cap. II. *de Cler.*

(*a*) Præt. Resp. a pag. 111. ad 113. a §. 234. ad 237., & in Exposit. Virt. a pag. 58. ad 61. a §. 90. ad 97.

(*b*) In thesaur. Resolut. S. Concilii annis 1775., & 1801, exadv. cit.

Cler. ægrot. = ibi = *Presbyterum*, *cujus duos digitos cum medietate palmæ a prædone abscissos significasti Missam non permittimus celebrare*. Quis vero negat *in jure expressam* irregularitatem incurri? Quis non videt promovendum Clericum patenam nonnisi sinistra manu pertractare valentem Apostolica indiguisse dispensatione? Ligorius vero non versabatur in casu in Jure expresso; nec sinistra pro dextera uti debebat, sed dextera manu cæterorum instar Presbyterorum Calicem ori admovere poterat, cujus usum nunquam amiserat.

20 In *Consentina* tandem *diei* 13. *Julii* 1725. de qua Animadversio §. 11. PP. 6. Concilii Intrepretes jure irregularem declararunt Presbyterum, qui amissa in dextero brachio flexibilitate *duplici modo* ad exequendas Rubricas impediebatur, utpote, qui *nec* perfecte signum Crucis, *nec* Sanguinis sumptionem, nisi sinistro brachio adhibito, perficere poterat. Ita enim ille impeditus exponitur (a), *Quando vult se signare signo S. Crucis id facere non possit, nisi intercedente* DISTANTIA UNIUS *circiter* PALMI *a fronte, a pectore, ab utroque humero, & ab ore, & Missam celebrando S. Hostiam, & Sanguinem sumere non possit, nisi ope brachii & manus sinistræ*. Quamobrem jocasse Animadversio videtur dum scribit, quod præter hæc, *omnes quidem sacrificii partes rite exequebatur*. Quid amabo illi restabat aliud, quam loquela, & genuflexiones? Quid vero deformius, quam videre Presbyterum quovis fere *momento* infra sacram actionem muscas potius expellere, quam se crucis signo signare? Hujusmodi saue impedimentum efformandi Crucem per se, ab alio item sejunctum, satis superque erat ad eum irregularem declarandum, quia expressum in Jure, uti Glossa *in Cap. Lator Dist.* 55. *verb. Sinistræ*: de eo qui captus a Normannis sinistræ manus *digitum* amiserat, scribit = *Idem si dexteræ, & si non amisit aliquem de illis, per quos fit SIGNUM CRUCIS*. Lex vero præsertim in odiosis non est de casu ad casum transferenda, proptereaque casus expressus in jure ad Ligorii casum in jure non expressum transferri non potest.

31 Comparari quoque nequit cum Ligorii casu aliud impedimentum, quo Presbyter ille nonnisi *sinistro brachio* sanguinem sumere valebat, quod juxta Animadversionem suppleri poterat per alium Presbyterum adstantem, *qui Sacram Eucharistiam porrigeret*. Et sane quum idem ille Presbyter brachio uti non posset, *nisi intercedente distantia unius circiter palmi a fronte & AB ORE*, opus fuisset, ut tam sacra hostia, quam Calix ab alio ejus ori admoveretur isque propterea, Laicorum more, non per se, sed ab alio comunionem sub utraque specie reciperet. Quid hæc cum Alphonsi casu? Alphonsus enim, ut omnes revera Sacrificii partes rite exequebatur, sic stans dextera manu, cujus usu perfecte pollebat, Hostiam recipiebat, ori suo admovebat, sumebat = *in piedi sumeva l'Ostia* (b). Licet vero Cappellanus superpelliceo, & stola indutus calicem ab Altari removeret, non illum tamen V. Antistitis ori admovebat, sed ei tradebat, qui per se suis labiis appropinquabat = ceu qui ipsi sacrificanti inservire consueverat satis clare deponit *Summ. Add.* §.6. = ibi=

C 2

(a) cit. Th. Res. Conc. An. 1725. exadv. cit.

(b) Summ. Addit. §.8.

ibi = *Lo viddi sempre sumere il sagro Sangue DAL CALICE come tutti gli altri Sacerdoti, APPROSSIMANDOSELO ALLA BOCCA*. Aderat quippe sacer Minister, quemadmodum cæteris Episcopis Sacrum privatim facientibus duo, tresque ex Cæremoniali adsunt, sed qui Ligorio aderat, non ideo aderat, ut sacram synaxim sub utraque specie ejus ori porrigeret, sed ut Sanguinis effusionem, si quæ forsan evenire potuisset, ope sua præcaveret, quo dumtaxat spectavit ei datum consilium, scilicet quod *poteva benissimo dir Messa SENZA TIMORE DI EFFUSIONE nel sumere il Sangue consagrato &c. che non vi sarebbe pericolo COLL' ASSISTENZA PERO' DI UN SACERDOTE vestito di cotta, e stola, che lo ajutasse nell' atto della sunzione &c. seguitò in questa maniera a celebrare*. (a) *E l'unica consolazione, che provò &c. fu quando &c. gli fu detto, che senza offendere la riverenza per un tal Mistero poteva &c. sumere SENZA PERICOLO il Calice* (b) Secluso ergo *scandalo* per privatam Missæ celebrationem, seclusoque *periculo* per opitulantem Presbyterum, non modo Episcopis, sed etiam simplicibus Sacerdotibus senibus, morbisque affectis a Jure concessum in Regula VII., & VIII. superius allata, poterat V. Antistes absque ulla dispensatione Deo Sacrificium offerre, quia nullam irregularitatem colli vitium præseferebat.

32 Ex iis vero jam definita patent tria illa, quæ egregius Censor definienda exoptabat §.11. *in fin.* Nam 1. definitum est non dicam *longe ineptiores* V. Ligorio fuisse *ad Sacrificium integre, ac decenter absolvendum illos*, quos exempla exhibent petita ex actis Congregationis Concilii, sed eos quidem, nullo vero pacto Ligorium, irregulares fuisse. II. Definitum est non esse locum inquisitioni an *magis divisum officium* fuisset in Ligorii casu, quam in hypothesi, quod Presbyter, quem exhibet *Consentina*, loco dispensationis utendi brachio sinistro, amisso dexteri usu, aliena ope Sacram Eucharistiam sumpsisset. Quamquam enim hæc *officii divisio* ad Irregularitatem excludendam, quæ unum periculum & scandalum respicit, eonque in promotis Lunaticis, & Epylecticis a jure permittatur *in sup. Regula VIII.* ut hi sacrum facere valeant assistente Presbytero, qui non modo eos opituletur, sed (quod gravius est quodque revera officium dividit) Sacrificium *sumendo* compleat si ante sumptionem sueto morbo ii corripiantur; tamen patet in *Consentino* casu Presbyterum non per se, sed ab assidente Sacerdote communionem sub utraque specie, instar Laici, sumere debuisse; Ligorium tamen tum sacram hostiam, tum calicem propriis manibus ori suo admovere potuisse, propterea que *nullo modo* officium divisisse. III. Definitum tandem est, nec indecorum, nec a Rubricis esse alienum Eucharistiam, sive Christi Sanguinem e calice ope adstantis Presbyteri sedendo sumere quia, tum Theologi, tum Canonistæ docent ministri opem, & sessionem, si necessitas postulet, nullam sapere irreverentiam ex allatis Regulis VI. VII. & VIII.

33 A Ligorii autem doctrina prorsus aliena est hypothesis illa, quam animadversio fingit §. 12. suasum ipsi fuisse *Dominicum sanguinem in Missa* sedendo *sumere proprium esse unius Summi Pontificis, atque ab aliis id perfici absque expressa dispensatione, & facultate* non

(a) Sum. Infor. pag. 236. §. 3. & seq. (b) loc. cit. pag. 247. §. 99.

non posse. Sciebat enim præ sua doctrina Pontificem, etiam solemniter celebrantem, non sedendo, sed *stando* Christi Sanguinem sumere. Quamobrem id non modo sibi nunquam suasit, sed ne somniavit quidem. Quod vero sciebat, sibique suasum habebat Pontificem non e calice, sed ex fistula Christi Sanguinem sumere, id nec per ipsum indultum, a cujus petitione Eum heroica in Pontificem reverentia prohibuit, explere umquam voluit; ut aperte testatum legimus *in Summ. Add. pag.* 12. §. 2. = ibi = *Essendogli stato suggerito da noi suoi Familiari* (non a Magistro Augustiniensi) *di chiedere la DISPENSA al Papa di poter SUMERE nella Messa il Sangue COLLA FISTOLA, NON VOLLE esso in conto alcuno ADERIRE a tal nostro suggerimento; rispondendo, che per esser QUESTO un PRIVILEGIO, e distintivo DEL SOLO PONTEFICE Massimo, non voleva neppur domandarlo per dispensa; contentandosi piuttosto di non dir messa*.

34 Si vero, ut animadversio scribere pergit *cit.* §. 12. *facile acquievit privato cuidam Theologo*, qui, non fistulæ usum, sed facilem, ac tutum modum proposuit Christi Sanguinem sumendi e calice absque effusionis periculo, ceu jam probatum est, (*a*) ac inferius item probabimus; si, inquam acquievit, jure meritoque acquievit. Nec enim doctum illum Theologum e doctissima Augustiniensi Familia, nec ipsum Ligorium in Canonica, & Morali doctrina apprime versatum latebat ex allatis Juris Regulis unum tantummodo *scandalum*, ac Sacramenti *periculum* in similibus præcavendum. Cur ergo acquiescere non debebat ei, qui modum proponebat, quo per privatam Missæ celebrationem *scandalum* removeret; per momentaneam vero sessionem senibus quibuscumque Presbyteris dispensatoria commoditate, ac necessitate permissam, perque Ministri assistentiam, omne effusionis *periculum* in sumendo e Calice Christi sanguine præcaveret?

35 Novit profecto doctissimus Censor haud esse necessariam ad id Apostolicam dispensationem. Quamobrem eo censuram coarctat, ut *ad cautelam* saltem Pontificem consulere debuisset. At id exequi ad cautelam debuisset si aliquod forte dubium vel in *facto* vel in *Jure* irrepsisset. Omne autem effusionis dubium practica experientia sustulerat, ceu præceteris de facto proprio testatur V. Testis *Proc. Apost. Nuc. FORMITER* examinatus *Summ. pag.* 236. *in fin.* & *seq.* = ibi = *Fattane immediatamente la prova, e riuscitagli &c. seguitò di questa maniera a celebrare*, & in Summ. Add. pag. 12. §. 3. *RIUSCITA FELICEMENTE L'ESPERIENZA fattane per mezzo mio con un poco di acqua incominciò a dir Messa &c. SENZA IL MINIMO PERICOLO DI EFFUSIONE*. Nullibi item legitur subortum fuisse dubium doctissimo V. Viro de actionis honestate, utpote qui contra Jus non agebat, propterea que nullam agnoscebat, neque ad cautelam, dispensationis necessitatem. Nam *dispensatio tunc tantum est necessaria cum fit aliquid contra jus*, opportune monet *Innocent. in Cap.* 1. & 2. *de eo qui cogn. consang. uxor. suæ*, aliique omnes *Canonistæ*. Etiamsi vero Irregularitatis dubium irrepsisset negativam sententiam ipse amplecti debebat ex *Reg. II.* quam paulo ante tradidimus.

36 Præ-

(*a*) Præt. Resp. pag. 107. §. 220. & 221.

36 Præsentit item sagacissimus Animadversor quantum ornamenti, quantumque ponderis nostræ Causæ accedat ab exemplis B. *Laurentii a Brundusio*, & *V. Thomæ a Virgine*, aut etiam *Infirmorum*, qui sedentes, vel decumbentes S. Synaxim sumunt; hinc de his opponit cit. §.12. *in fin.* quod *specialem habent ab Ecclesia dispensationem*. Id profecto est quod nos ipsi tuebamur (*a*) firmiterque tuemur. Et sane quanam ratione habent hi Ecclesiæ dispensationem? Nonne quia *infirmi*? Nonne quia utpote infirmi ad sedendum morbi necessitate coguntur? Ita profecto: propterequæ Ecclesia Regulam in Pontificio Jure ab infirmis, ac impotentibus sequendam statuit in 5. Decret.= *Quod non est licitum lege necessitas facit licitum*. Res ergo est in vado, & argumentum a pari. Quo enim quis disparitatem probet, probare prius debet morbosum obstipi colli vitium Ligorium non adeo impedivisse, ut is nonnisi sedendo Christi sanguinem e calice sumere posset, quod tamen vel ingenua ipsa Animadversio concedit cum scribit (*b*) *quod secus nequiret Alphonsus os ad calicem admovere*. Itaque sessionem, quæ non est licita Rubricæ lege, Ecclesiæ dispensatione necessitas facit licitam, cum sessio in sumenda S. Synaxi non sit intrinsece mala; ad quam secus Ecclesia nec ipsos Infirmos dispensasset.

37 Hæc profecto ratio apertissime ostendit nullam quoque disparitatem inter Ligorii sessionem in Missa, ac illam B. Laurentii a Brundusio, & V. Thomæ a Virgine intercedere. Quamquam enim Ligorium necessitas cogeret eo momento sedere, quo Christi sanguinem sumebat, illos vero *alle segrete*, *e memento*, tamen utrosque ad sedendum contra ejusdem Rubricæ legem necessitas impellebat. Eadem porro Rubrica, quæ in Ligorii casu de Christi sanguinis sumptione dixit = *stans reverenter sumit*; eadem de *orationibus*, quæ *secreto* recitantur super oblata post offertorium vulgo *segrete* præscribit (*c*) *Manibus ante pectus extensis STANS in medio altaris versus librum dicit &c. Orationem, vel orationes SECRETAS* = De commemoratione vero vivorum, *Memento* nuncupata, ita jubet (*d*) *Cum dicit* = *Memento Domine* = *elevans, & jungens manus &c. STAT &c.* De commemoratione tandem Defunctorum (*e*) *Cum dicit* = *Memento etiam Domine &c.* = *facit commemorationem Fidelium defunctorum &c. EODEM MODO ut dictum est de commemoratione vivorum. Qua commemoratione facta STANS, ut prius &c.* si ergo B. Laurentio a Brundusio, & V. Thomæ a Virgine licuit necessitate sedere contra Rubricæ præscriptum *nelle segrete, e memento*, cur non licuit Alphonso in Calicis sumptione urgente necessitate sedere, quamvis Rubrica eodem modo bene valentibus tunc stare præscribat, quo præscribit *nelle segrete, e memento*? Ubi enim est eadem ratio idem debet esse judicium *L. illud init. ff. ad L. Aquiliam* = Menoch. *consil.* 112. *num.* 4. *lib.* 11. = Piton. *discept. Eccl. num.* 2. 75. = ibi = *Ubi eadem est ratio, jus idem statuendum*.

38 Ne-

(*a*) Præt. Resp. pag.114.§.239.
(*b*) Præt.Animad. §.59.
(*c*) Rit. celeb. Missam in Miss. Rom. tit. de Offertorio, & aliis &c. n. VII. §.7.
(*d*) loco cit. Tit. de Canon. &c. n. VIII. §. 3.
(*e*) Loc. cit.Tit.de Can.post Consecr.n.IX. §.2.

38 Neque urgeas (cit. §. 12. in fin.) quod *aliud est sedere* nelle segrete, e memento, *longe vero aliud sedere dum sumitur Christi Sanguis, dum nempe summa ab celebrante religio, ac reverentia adhibenda est*. Una mehercule est Missæ actio ex pluribus partibus conflata, quæ ad unum singulæ spectant; digna propterea, quæ in singulis partibus, nullo omnino discrimine facto, a celebrante religione summa, ac reverentia peragatur; ex Conc. Tridentino *Sess.22.* Sessio autem nullam præsefert irreverentiam, ut docet Card. Cajetanus *in Cap. 2. Act. Apost.* = ibi = *Non horreo Sessionem corporalem; cum NIHIL INDECENS inducat.* Necessitas vero, quæ dat sessioni causam per sese una omnem excludit irreverentiam; uti exemplo patet *Infirmorum*, qui ob necessitatem, ut Animadversio monet, ad sedendum in sumendo Christi corpore dispensationem habent; Et sane necessitas, non modo Ecclesiæ, sed etiam ipsius Dei ad sedendum dispensationem, & indulgentiam, imo nutum, & jussum præbet; hujusce autem indulgentiæ, atque jussi tessera ipsa corporis imbecillitas est, uti perbelle ponderat Theophilus Raynaud. (*a*) dum scribit = *Quis sedere audeat coram Deo injussu ejus? At abest Dei nutus, vel jussum de sibi assidendo, SI ABEST ÆGRITUDO CORPORIS SESSIONEM DEPOSCENS. Ea enim corporis imbecillitas DIVINÆ INDULGENTIÆ AD SEDENDUM CONCESSÆ TESSERA EST ex natura rei*. Hinc Doctores affirmant, id quod extra necessitatem esset irreverentia, ea urgente, nullam omnino irreverentiam afferre; ceu ad rem advertit cum eodem Theophilo Raynaudo Navarrus (*b*) hisce verbis = *Non desinunt Sacramenta REVERENTER tractari eo quod ex justa CAUSA, & NECESSITATE &c. caput tegatur &c.* Et causam affert Henaus (*c*) qui cum Arriaga scribit = *Non est censendum Deum nulle omitti Sacrificium &c. cum hoc ipsum quod extra necessitatem esset irreverentia, DESINAT ESSE TALIS in similibus casibus.*

39 Merito itaque præ sua doctrina Augustiniensis Theologus sessionem Ligorio suadens affirmavit = *che senza offendere LA RIVERENZA per un tal Mistero poteva adattarsi &c.* (Summ. Inf. pag. 249. §. 99.) Quemadmodum enim irreverentia fuisset si tunc Ligorius in Christi Sanguine sumendo sedisset cum nulla ad id necessitate cogebatur (quod nunquam fecit) ita nulla irreverentia fuit, si tunc tantummodo sedit cum obstipi colli vitium ita ipsum ad sedendum cogebat, ut secus in Calice bibere omnino nequiret. Quod vero Doctores affirmant morbosam impotentiam Ecclesiasticæ non modo, verum etiam divinæ dispensationis tesseram esse, id profecto in nostra facti specie DEUS ipse testatur. Ille enim, uti jam in anteacta actione diximus (*d*), qui olim Sancti Spiritus igne *replevit totam domum, ubi erant sedentes* (Act. Ap. 2.) ille ipse sedentis Alphonsi cor tanto in sumendo Christi sanguine Sancti Spiritus igne replevit, ut divina flamma foris etiam erumperet, & adstantibus admiratione esset, & compunctione; quippe aperte deponant (*e*), quod *quando sumeva il sagro Sangue seduto mi sentivo TUTTO INTENERITO, e mi sembra-*

(*a*) In Oper. cui tit. Sac. Christianum Achathistum, seu Sessionis expers. Tom. 6. pag. 503. col. 1.

(*b*) Lib. 3. de celeb. Miss. Cons. 7. num. 5.

(*c*) De Sacrif. Miss. Sect. 2. num. 8.

(*d*) Præt. Resp. pag. 114. §. 239.

(*e*) Præt. Resp. pag. 114. §. 239.

brava *IL SANTO CELEBRANTE PIU' ANGELO , CHE UOMO= con una alienazione da sensi , che pareva PIU' ANGELO CHE UOMO , e quando lo viddi sumere il sagro Sangue seduto &c. non potei fare a meno di sentirmi tutto commovere per la* TENEREZZA, E VENERAZIONE =. *Dopo la sunzione del Corpo , e Sangue di Gesù Cristo , lo vedevo io alle volte FUORI DI SE rapito in un dolce deliquio di amore* . Externa hujusmodi signa eximiam non modo reverentiam ostendunt , quam religiosa Animadversio in hac actione exoptabat , sed HEROICAM Celebrantis *charitatem* in Deum luculentissime patefaciunt ; per tradita a Bened. XIV. *lib.*3. *cap.* 23. *num.*26.; Oh reverentiam ceteris Celebrantibus exoptandam !

40 Hæc de Sessione ; ad prætensum nunc fistulæ usum reverti cogimur, egregio Animadversore monente §. 13. quod *non defuerunt , quos adhuc pungebat Testis IV. Proc. Apost. S. Agathæ Canonicus Liborius Carfora sub formali examine deponens = ; dopo di essersi consigliato con persone dotte , ed illuminate , risolvette di celebrare la S. Messa con assumere il sagro Sangue per mezzo di un Cannelletto di argento di dentro indorato , come fece , e patticò per molto tempo , fino a che raddrizzatosi in qualche maniera si rese abile di nuovo a celebrare la S. Messa , come prima faceva* .

41 Nihil profecto luculentius , nihilque dissertius in primis Responsionibus (*a*) probavimus , quam apertissimam hujusce Testis *æquivocationem* , eamque tum ipsius met verbis , tum *domesticorum* Testium attestationibus geometrice patefecimus . Qua de re illud dumtaxat alterum ex Patribus pupugisse ab Animadversione accipimus *cit.* §.13., quod *Testis deponens de usu fistulæ deposuit sub examine formoli* . *Duo autem Testes novissime a Postulatoribus expiscati sunt Extrajudiciales* .

42 Principio mitto rem impræsentiarum esse , non de probando aliquo virtutis actu , verum de arcenda a Ven. Viro criminatione , ejusque probanda innocentia , ad quam *extrajudicioles* etiam *juratæ attestationes* plenam faciunt probationem , uti communiter docent DD. , & *Rota rec. dec.*404. *num.*1. *part.*2. *dec.*157. *num.* 2. *part.*4. *decis.* 256. *num.*2. *part.*5. *dec.*5. *decis.*87. *num.*1. *part.*6., & *dec.* 207. *numer.* 8. *part.* 7.

43 Dum vero hæc prætermitto aperte nego , *Alexium Pollio* , atque *Antonium Romito* esse Testes *novissime a Postulatoribus expiscatos* . Eorum enim alter in *Proc. Apost. Nuc.* est Testis V. & in *Ordinario XIV.* (*Summar. Inf. pag.* 4. , & 40.) Alter vero in eodem *Processu Apost. Nuc.* est Testis XXVIII. & *in Ord.* XV. (*Summ. Inf. pag.*11., & 40.) Hi autem non rem novam deposuere in suis extrajudicialibus attestationibus *in Summ. Addit.* legendis *num.*8. *litt.A.* & *B.*, sed jam IN FORMALI JUDICIO testatam enucleatius declararunt . Deposuerunt enim jam FORMITER EXAMINATI consilium sacro Antistiti datum haud unquam fuisse sumendi Christi sanguinem e *fistula*, quemadmodum extraneus ille Testis ex *sua credulitate* deponit , sed *sedendi*, ut posset in Calice bibere , utendique Ministri assistentia , qua

(*a*) Pag.106. ad 209. a §.200. ad 226.

qua effusionis periculum removeretur. En eorum verba, quæ in ipso *Informationis Summario* prostant.

V. Testis Proc. Apost. Nuc. *Alexius Pollio* V. S. D. Famulus FORMITER EXAMINATUS *Summ. pag.*236. §. 3., ibi „ Mi ricordo, che „ venuto in Arienzo il Maestro Carani Agostiniano per visitare il „ Servo di Dio, ed invitarlo a predicare nella Chiesa del suo Ordine „ nell' ultima Domenica di Agosto giorno destinato alla festa di Ma„ ria del Soccorso, e ricevuta l' affermativa con queste simili paro„ le = *Potessi venire nella vostra Chiesa a dir Messa ancora, come* „ *posso venire a predicare, che gran consolazione avrei! ma non* „ *posso per questa testa che mi sta curvata sul petto* = A questo gli „ suggerì il Maestro Agostiniano ch' Egli il Ven. Servo di Dio non „ ostante questo ostacolo *poteva benissimo dir Messa senza timore di* „ *effusione nell'assumere il Sangue consagrato, perchè* (en consi„ lium) *poteva sumerlo sedato in una sedia, e adattato in manie„ ra, che non vi sarebbe pericolo coll' assistenza però di un Sacer„ dote vestito di cotta, e stola che lo ajutasse nell' atto della sun„ zione*. Gradì al sommo il Servo di Dio questo sentimento, *e fatta„ ne immediatamente la prova, e riuscitali* ringraziò quel Religio„ so, e seguitò *di questa maniera a celebrare &c.*„ Confer quæso extrajudicialem Testis attestationem cum hocce *formali examine*, eique perfecte consonam invenies. Ubinam vero fistulæ mentio? Imo vero quid clarius, quam fistulæ exclusio? Si doctus Theologus, per fictam hypothesim ejus doctrinæ contrariam, fistulam suasisset, cur nam recedendum ab Altari, cum per eam comode Alphonsus sugere potuisset Christi sanguinem stando post sumptam hostiam, quemadmodum per se potum sugebat in mensa? Cur nam *sumerlo seduto in una Sedia*, nisi sumere debuisset de Calice? Cur *adattato in maniera, che non vi sarebbe pericolo*, ac si effusionis periculum subesse possit in fistula? Cur addidit = *coll' assistenza però di un Sacerdote &c. che lo ajutasse nell' atto della sunsione*, ac si per sese absque alieno ministerio comode per fistulam non bibisset in mensa? Clara hæc sunt ipsaque meridiana luce clariora.

XXVIII. Testis Fr. Franciscus Antonius Romito V. S. D. Socius FORMITER EXAMINATUS *Summ. pag.* 241. §. 40., ibi = Essendo ca„ pitato in Arienzo, ove Egli dimorava, un Padre Provinciale de„ gli Agostiniani Calzati, buon Servo di Dio, in discorso col nostro „ Ven. Vescovo sull' impotenza di celebrare, questi gli soggiunse *la* „ *maniera prattica di potere adattarsi per la celebrazione*, soprat„ tutto *sedendo modestamente nel sumere il Sagrosanto Sangue*. „ Tutto lieto il Ven. Servo di Dio *ne fece la prova avanti al medesi„ mo buon Religioso, e gli riuscì appuntino* con estremo *suo giubi„ lo*, onde poi seguitò a celebrarla quasi ogni mattina &c. *Lo vede„ vo io però, e* LO VIDDI COME SERVIENTE AL SAGRO AL„ TARE . . . *anzi a* PIU' *sua* CAUTELA *si faceva sempre assiste„ re da un Sacerdote vestito di cotta e stola, acciocchè lo avesse* „ *ajutato nell' atto della Celebrazione, e gli avesse tenuto il Sagro* „ CALICE (non fistulam) *nell'atto della sua Sunzione* = Hi ne sunt Testes novissime expiscati?

44 Ceterum ex recitatis Testium verbis IN FORMALI EXAMINE prolatis evidentissime constat, etiamsi nulla haberetur ratio extrajudicialium eorumdem attestationum, unum tamen eorum FORMALE

EXAMEN satis superque esse ad probandam extranei illius Testis æquivocationem.

45 Quamquam vero in quocumque Judicio *duo* Testes plenissimam probationem constituant, si quis in nostra Causa numeris omnibus absoluta præter illos alios etiam Testes exoptaret, centeni, ut ita dicam, præsto forent ex Actis; ne vero præter necessitatem in immensum hæc moles excrescat, speciminis loco illi sint, quorum dicta in ipso *Summario* prostant, inter quos.

I. Testis *Proc. Apost. S. Agathæ* P.Antonius M.Tannoja *FORMITER EXAMINATUS pag.* 249. §.99. = L' unica pena che provava, come „ sò, ed è noto a tutti, era il vederssi privo della S. Messa, perchè „ non poteva sumere il Sangue, così l' unica consolazione che pro- „ vò, e posso dire in vita sua, fù quando dal P. Maestro Marcorio „ (Carani) Agostiniano gli fù detto, CHE SENZA OFFENDERE „ LA RIVERENZA PER UN TAL MISTERO poteva adattarsi *so-* „ *pra un Sofà, e sumere senza pericolo IL CALICE* (non fistulam „ sed *il Calice*) Pronto ne fece l'esperienza fuori della Messa, e ve- „ dendo che riusciva, diede in tale eccesso di consolazione, che ne „ partecipò il P. Villani, ed altri.

46 Ille tandem ipse *V.S.D. Secretarius*, qui superpelliceo, & stola indutus sancto Celebranti in sumendo Christi sanguine ministrabat, nunquam fistulæ meminit; sed consilium V.S.D. datum, ab eoque executum ad unam *sessionem* coarctat in suo FORMALI EXAMINE *Summ. pag.*248. §.90. = In questo stato così deplorabile (curvatio- „ nis colli) dopo due, o trè Mesi da Noi si fece la prova, secon- „ do il suo desiderio mostrato di poter celebrare la S. Messa, e già „ ci venne fatto *colla guida, ed assistenza di un Religioso, e modo* „ *da lui datoci di farlo celebrare da indi innanzi*, benchè con sua „ pena corporale, però con tutto il giubilo del suo cuore; e così se- „ guitò a celebrare &c. „ *e SOLAMENTE si faceva modestamente sedere sdrajato sopra una sedia per fargli sumere le sagre specie del sangue* COLL' ASSISTENZA ED AJUTO MIO *in cotta, e stola, e poi di qualche Padre &c. dimorando in questa Casa di S.Micchele*. Ubinam verbum, vel vola de somniata Fistula Ligorio proposita, ab eoque adhibita? Eam certe Testis, qui ipsi Celebranti ministrabat, satis expresse excludit, cum sumendi Christi Sanguinis modum exponens ad unam sessionem, suamque assistentiam coarctat: SOLAMENTE *si faceva modestamente sedere &c. per fargli sumere le sagre specie del sangue coll' assistenza, ed ajuto mio*. Dictio enim *solamente*, ut unam includit sessionem, sic fistulæ usum, ac cetera si fuissent commenta prorsus excludit; *L. His solis cap. de Revocat. Donat.* cap. *Ego* 9. *Distinct. &c.* & Fagnanus *in cap. Cum Venerabilis cap.*21. *de Censibus num.*5., ibi = *Dictio* = solum = *est* EXCLUSIVA *aliorum* & Rota *in rec. part.* 14. *dec.* 39. *num.* 3., ibi = *Dictio* = solamente = *est taxativa* = Et dec.329. num. 2. = *Significatio illius dictionis* = solum = *est* EXCLUSIVA ALIORUM =.

47 Itaque QUATUOR sunt Testes FORMITER EXAMINATI, qui dictum UNIUS, proindeque *nullius*, a veritate prorsus alienum evincunt. Fuerit ille *qualificatus*, fuerit *Canonicus Primicerius*, fuerit *Examinator Synodalis*, fuerit *Rector Seminarii*, fuerit . . . . . Quid inde? Non dignitatem, sed *scientiæ causam* a Testibus jura requi-

requirunt, ut fidem sibi concilient; uti in re nostra docet Benedictus XIV. *lib.2. cap.49. num.*10. Ipse vero haud erat Ven. Antistitis vel contubernalis, vel familiaris, vel quoquo modo domesticus, sed extraneus, utpote *Vicario Foraneo di S.Maria a Vico*= Sum. pag.12. *in fin.*; ubi constat, eumdem post Ven. Ligorii abdicationem tam præclaris nominibus, quorum Animadversio meminit, fuisse insignitum. Haud ergo præsens ille aderat consilio Ven. Viro a Theologo dato. Hinc ex antea præconcepta opinione, quod impar is erat ad bibendum *per sese* in scipho, facile sibi suasit per fistulam quoque sumere debuisse Christi sanguinem e calice, ut potum in mensa hauriebat e scipho; propterea que consilium ad celebrandum ei datum in hacce circumstantia versari putabat. Hæc autem animi præoccupatio tam alte ejus menti insederat, ut etiamsi aliquando e suo, in quo morabatur vico, Argentium ad Episcopum forte petens illum in privato sacello inter faciendum Sacrum post Ministrorum terga eo momento sedentem viderit, quo Christi sanguinem sumebat, minus ipse attenderet, an è Calice sumeret, vel e fistula, compertum nimirum habens eum e fistula haurire potum in mensa. Quamobrem merito sapientes viri non oculos, sed animum res cernere tradidere, ut bene Tullius Tusculan. *lib.*1. *cap.*10. = *Nos enim ne nunc quidem oculis cernimus ea quæ videmus. Neque enim est ullus sensus in corpore, sed, ut non solum Physici docent, verum etiam Medici, qui ista aperta, & patefacta viderunt, viæ quasi quædam sunt ad oculos, ad aures, ad nares a sede animi perforatæ. Itaque sæpe aut COGITATIONE, aut aliqua vi morbi IMPEDITI apertis, atque integris oculis, nec videmus, nec audimus, ut facile intelligi possit ANIMUM & VIDERE, & AUDIRE, non eas partes, quæ quasi fenestræ sunt animi, quibus tamen sentire nihil queat mens, nisi id agat, & adsit* = Et Card. de Polignac. in Anti-Lucretio lib. 5. v. 825. & seqq. = *Nam sine mente ... nullus adest sensus ... non oculi cernunt*; & erudite Cl. Jo. Dominicus Testa SSmi D. N. a latinis Epistolis in ejus elucubratissima Dissertatione *De Sensuum usu in perquirenda veritate pag.*51. = Ex hoc ergo fit, ut deficiente animi excitatione quis nequeat rem observare, atque percipere; ut bene Haller *Physiolog. lib.* 17. *sect.* 1. §. *XI.* Sauvages, *Nosolog. clas.* 8. *ord.* 4.

48 Huc certe vel ipsa objecti Testis verba nos manuducunt, cum ait Ven. Antistitem fistula in Missa fuisse usum *fino a che raddrizzatosi in qualche maniera si rese abile a celebrare la S. Messa, come prima faceva*. Vide judicii deceptionem, vide sensuum fallaciam ore omnium Testium, quotquot Causa abundat, plene, cumulateque probatam! Nam contortis olim ex arthritide colli vetebris V. vir obstipo collo *ad obitum* usque remansit; *Summ. per tot.*

49 Au vero huic testi, vel allatis QUATUOR FORMITER EXAMINATIS sit adjungenda fides Vos Sapientissimi Judices ex criticea, & Juris regulis decernite. Illi non sunt extranei, aut *Vicarii Foranei*, sed Episcopi domestici, *Secretarius*, *Socius*, *Contubernalis*, *Famulus*, ipsique rem divinam facienti quotidie *ministrantes*. Deponunt de *facto proprio*, utpote qui *præsentes* adfuerant consilio ei dato, & practico tentamini facto, quod non in fistulæ usu, sed in *sessione*, & assistentia Presbyteri duntaxat versatum fuisse affirmant, ut sumeret *senza pericolo il* CALICE.

 Quæ

50 Quæ cum ita sint jure prætermittere possem, quod *aliquis addebat*, uti Animadversio monet *cit.* §. 13. *in fin.* extrajudicialem Pollii attestationem *aliquatenus* videri æquivocam per ea verba *in conseguenza attesto che Egli non si servì mai nella Messa della fistola*. Si quis a contextu verba decerpit ea facile æquivoca reddit; Qui vero contextui reddit suæ claritati restituit. Pollius enim quo priorem suam attestationem in *formali judicio* editam ampliorem, & uberiorem faceret, suæ scientiæ causæ illic jam redditæ, aliam quoque extrajudicialiter addidit *negativæ coarctationis*. Quum enim *formiter examinatus* jam deposuisset duabus fistulis a semetipso emptis, altera lignea, altera ex Germanico metallo conflata V. Episcopum in mensa fuisse usum *Summ. Inf. pag.* 537. §.27., in extrajudiciali attestatione addit *Summ. Add. pag.* 12. §. 1., quod = *fuori di questi due Cannelletti, de' quali il Servo di Dio servivasi a tavola, e fuori di essa per bere acqua, vino, caffè, ed altre cose da bere, ne fù mai fatto, ne mai usata altra fistola, o Cannelletto, come necessariamente saprei per esser cosa, che sarebbe passata per le mie mani*. Recta inde sintaxi prosequitur = *in conseguenza*, scilicet negativæ coarctationis *attesto, che Egli non si servì mai nella Messa della fistola &c.* Ubinam æquivocatio? Nisi per jocum dixeris uti Dei Famulum potuisse ea fistula in Missa, qua utebatur *per bere acqua, vino, caffè*.

DE OMISSIONE SYNODI.

51 Quæ eximiam ostendit V. Ligorii Prudentiam Diœcesanæ Synodi prætermissa celebratio, ea ipse *visus est culpandus*, uti Animadversio narrat §.14. Cur vero culpandus? Quia id Tridentina Synodus jubet, & Benedicti XIV. Constitutio XXVIII. ad universos Episcopos data. Hujus vero Ecclesiasticæ legis non ea natura est, ut limitationem non patiatur, neque ulla impedimenta agnoscat, quibus valeat prætermitti. Ipsum appello ingenuum, doctumque Censorem, qui ultro fatetur (a), Benedictum XIV. eos tantummodo non excusare Episcopos, *qui cum NIHIL SIT, QUOD EOS IMPEDIAT ex sola socordia, & negligentia Synodum facere prætermittunt*, quique addit = *Equidem non is ego sum, qui velim V. Virum ex sola negligentia, & socordia Synodum facere prætermisisse imo LEGITTIMAS non defuisse Episcopo CAUSAS, ne Synodum indiceret existimo*. Ipsam quoque testem appello Benedicti XIV., quæ modo objicitur, Constitutionem XXVIII. ad Episcopos datam. Ejus enim scopus cum sit, quod non alii deligantur Causarum Judices ad partes, nisi Synodales, probe in ea Pontifex prævidet aliqua Episcopis subesse posse obstacula, quæ Synodi celebrationem impediant, eaque aliquando tanti ponderis futura, ut ipsa propere removendi spes nulla esse possit; propterea que docet eo casu subrogandos alios esse Judices ab Episcopis de consilio Capituli. En ejus verba *loco exadv. cit.* = *Cum vero Concilia Provincialia quolibet triennio, Diœcesana Anno quolibet ex præscripto Tridentini cogenda ex varia, quæ obversantur* IMPEDIMENTA *longius protrahantur*, NEC EPISCOPIS SUBSIT *quandoque certa* SPES, *quod iis* PRO-

PERE

(a) Præt. Animad. pag. 18. §. 36. & 37. init.

PERE SUBLATIS *dicta Concilia haberi possint*; *atque in illis designari novi Judices Synodales in locum illorum, qui defecerunt*; *sæpe idcirco &c.* Ergo Pontifex obstacula novit, quæ possint Synodi celebrationem impedire, eventusque novit, quibus, ut in nostra facti specie, ea propere removendi spes nulla sit, proindeque versamur in casu, quo veritas, instar ignis e silice, ab ipsa censura excutiatur ac robur accipiat, ceu prolusit Bochius in Epigrammate = *Disceptando studiosi in luminis auras verum ipsum e latebris excutiunt facile*.

52 Obstacula vero, quibus a celebranda Synodo V. Alphonsus impediebatur, *locorum*, *ac temporum circumstantias* fuisse Testes omnes Diœcesani, conterranei, ejusque Regni incolæ uno ore deponunt (*a*). Hæc ipsa obstacula probe novit Sac. Congregatio Patrum Tridentini Concilii interpretum cum ad Alphonsum in hæc verba rescripsit die 20. Augusti 1765. (*b*). *Facere non possumus, quin Te etiam ad ea, quæ vix, ac ne vix quidem effici posse scribis pro munere nostro inflammemus. Dioecesanam igitur Synodum Tibi proponi a Nobis, ut tuarum laudum pulcherrimam metam existimo &c. atque id quamquam PERDIFFICILE Tibi PLURIMISQUE septum IMPEDIMENTIS videatur; tamen omnem operam, cogitationem, PRUDENTIAM, ac industriam tuam illuc convertere debes, & quantum in Te est, tuisque viribus conniti, multumque Divino auxilio confidere, ac demum IN SUPREMA VOLUNTATE DE EXITU, QUICUMQUE FUTURUS SIT, CONQUIESCERE.*

53 Quonam quæso argumento ex recitatis verbis concludere licet cum Animadversione §.14., quod Sacra Congregatio *haudquaquam acquievit Alphonso, quasi excusationem nullam probabilem vir Venerabilis attulisset*? Cur nam potius concludere non licet, quod Sacra Congregatio excusationis vim, & pondus agnoverit cum ejus PRUDENTIÆ, *industriæ*, *viribus* tanti momenti rem commisit? Cur nam non potius concludere licet excusationi acquievisse cum rotundis litteris ad ipsum scripserit debere *demum in suprema voluntate de exitu QUICUMQUE FUTURUS SIT, conquiescere*? Quidnam quæro sibi volunt verba hæc: *quicumque futurus sit*, nisi quod Sacra Congregatio ita Alphonsi prudentiæ, ac viribus integrum reliquerat Synodum *vel* celebrare, *vel* non, quin ipse de hoc sui consilii & resolutionis *exitu* sollicitus fuerit? Neque opponas ideo S.Congregationem excusationi non acquievisse, quia Alphonso Synodum commendavit, cum nimis fallax hoc argumentum sit, ac satis expressæ Congregationis menti contrarium; utpote quæ id *pro munere* tantum effecisse declaravit, cum scripsit = *facere non possumus, quin te &c. PRO MUNERE nostro inflammemus*. Id profecto causa fuit, cur post triennium die 27. Julii 1768. iterum Synodum pro munere Ligorio commendavit, licet impedimenti vim bene agnitam jam ipsi declarasset.

55 Sed quorsum hæc? cum ipsa docta Animadversio argumentum ultro suppeditet, quo patet S. Concilii Congregationem Ligorii rationibus acquievisse? Si enim ei lubet Congregationis mentem ex eo potissimum assequi, quod in duabus prioribus epistolis Ligorio Synodum com-

(*a*) Locis laudatis in præt. Animad. in nota ad §. 35. (*b*) Sum. Addit. num. 5. litt. A. §. 4.

commendaverit ; eodem argumenti genere concludat oportet eamdem S. Congregationem V. Antistitis excusationi acquievisse, quia in *postrema* epistola ad Eum data die 5. Decembris 1771. *Summ. Addit. pag. 10. litt. C.* haud ipsi amplius Synodi celebrationem commendavit; imo eum meritis laudibus extulit ; quia = QUAM OPTAVERAT, *adhibere Te in Santagatensi Ecclesia administranda* DILIGENTIAM COGNOVIT , *de qua , etsi dubitare minime poterat &c. tamen gratia* NUNC *Te etiam , atque etiam* AMPLIORA SOLLICITUDINIS , *atque fidei* ARGUMENTA *dedisse , non potuit non vehementer gaudere* . Neminem fore arbitror qui *non* percipiat postremum hoc , ac *generale* Pastoralis sollicitudinis praeconium ad Ligorium missum *peculiarem* quoque amplecti sollicitudinem , studium , & conatum ad celebrandam Synodum , quantum in se fuerat adhibitum , eidem Congregationi patefactum , eidemque probatum ; juxta vulgatissimam Juris regulam = *Semper specialia generalibus insunt* = ff. de Reg. Jur. *Reg.* 47. , & *Reg.* 113. ibi = *in toto , & pars continetur* .

55 Atque utinam ipsae Alphonsi Epistolae ad AA. PP. Concilii Interpretes datae in *Tabulario* illius Congregationis repertae fuissent ? Eae profecto gravissimi impedimenti , quo ille detinebatur, pondus magis quam responsa ei data patefecissent . Si vero eae desunt , quia illius S. Congregationis Tabulario easdem reperire datum non fuit , praesto tamen sunt amplissima *documenta* in hanc rem R. P. D. Promotori tradita , quibus aperte patet Sacrum Antistitem in ipsa Synodi omissione summam exhibuisse Prudentiam . Licet enim ipse *familiaritate , & gratia valde pollere apud Regios Administros Marchionem Tanuccium, & de Marco*, uti Animadversio narrat §. 15. , quod quidem in maximam ejus tandem vertit , juxta aureum monitum Card. Bellarmini *ad Nepot. controv. 7.* ibi = *Sic vivamus ut intelligant Principes, vel Principum Administri nos non quaerere occasiones cum illis rixandi &c. & revera conemur officiis, & beneficiis amicitiam illorum diligenter conservare , & nutrire* ; inde tamen non sequitur quod is hoc nomine celebrandae Synodi *aliorum Episcoporum aptissimus esset*, ac si in eo fuisset locorum , & temporum circumstantias immutare . Et sane nil aliud constat (*locis ex adv. cit.*) quam Ligorium illorum patrocinium fuisse expertum inter adversa, quae ad reparandam sui Cleri disciplinam , corruptosque Populi mores corrigendos , ut bonus Pastor, forti animo tulit , seu prae caeteris legitur *Sum. pag. 716. §. 68. ex adv. cit.* = ibi = *L'ebbero in stima di Santità &c. il Marchese Brancone , Tanucci , ed il Marchese di Marco , che non fu mai per dare un menomo disgusto al Servo di Dio , ma favorivalo in tutte LE CONTRARIETÀ . CHE SOFFRÌ come Vescovo &c.*

56 Non video autem cur V. Tenderinii exemplum nobis non prodeat , sed potius obsit , quia ille *impetrarit a S. Congregatione veniam, noster non impetrarit* . Sciscitor equidem quonam argumento constitit S. Congregationem V. Tenderino omittendae Synodi *veniam* fuisse impertitam ? Legimus quidem exposuisse illum controversiam praecedentiae inter Collegiatas tamquam *impedimentum* ad celebrandam Synodum, ac conclusisse in sua Epistola ad S. Congregationem data (a). *Unde AD VITANDA JURGIA , quae nimium turbarent sa-*

cram

(a) Sum. Addit. Posit. V. Tenderini sup. virt. An. 1783. pag. 75. §. 4.

eram Synodi actionem MELIUS DUXI ABUNDARE IN TEMPORE, QUAM DEFICERE IN SALUTARIBUS. De supposita vero venia a S. Congregatione Tenderinio concessa nec verbum, nec volam in illius Causæ actis datum nobis fuit reperire. Urgente enim Censore in novissima illius Causæ actione (a) ut exhiberentur Epistolæ S. Congregationis Concilii *responsivæ* ad Relationes a V. Antistite datas, exhibitæ quidem fuerunt *quatuor*, sed in iis, licet præconiis refertis, nulla prorsus fit mentio de omissa Synodo, deque illius omissionis causis a V. Episcopo suis in Epistolis jam expositis (b). Unde Postulatores in *novissimis* suis vindiciis ita propositæ objectioni occurrerunt pag. 14. §. 33. = *causam, quæ Tenderinium de Synodo non oblitum per id temporis coegit ad protrahendam Synodi indictionem, fuisse S. Congregationi Concilii upprime cognitam, planeque probatam, quæ rebus ab eo gestis, narratisque in prima Relatione singillatim expensis, non modo non excitavit Episcopum, ut solet, ad Synodi celebrationem, sed* CUNCTA AB IPSO GESTA *ita excepit, & amplexa est, ut verbis etiam honestarit ornatissimis* = & pag. 16. §. 37. = SATIS *quidem Nobis* EST, *satisque esse debet AA. Patribus, quod S. Congregatio Concilii expendens in Relationibus V. Antistitis causas propter quas abstinuit a celebranda Diœcesana Synodo ita illas admiserit, & adprobaverit, ut non modo ad Synodi celebrationem* NULLO *Tenderinum excitaverit* VERBO, *quemadmodum facere omnino solet &c. sed etiam ejus agendi rationem summis laudibus ornaverit in suis responsivis epistolis*. Post hæc, datis in Congregatione Generali suffragiis, Decretum prodiit *constare de V. Tenderini virtutibus in gradu heroico*.

57 Si ergo hocce argumenti genere, *ex silentio* scilicet Sac. Congregationis Concilii de omissa a Ven. Tenderino Synodo, deque causis ab eodem expositis per egregium Censorem constitit *de venia* a Sac. Congregatione concessa; pari modo, imo vero potiori, tum *verbo*, tum *silentio* constat de *venia Ligorio data* Diæcesanæ Synodi omittendæ. Exposuit enim Ven. Ligorius habendæ Synodi impedimentum, & Sac. Congregatio non silentio, sed per Epistolam cognitum impedimentum significavit, ac Synodi celebrationem ejus *Prudentiæ* ita comisit, ut commendaverit quidem *quantum in Te est, tuisque viribus conniti multumque divino auxilio confidere*; jusserit tamen = *demum in suprema voluntate de exitu* QUICUMQUE FUTURUS SIT *conquiescere*. Idem mehercule est Prudentiæ committere, ac *veniam*, non silentio, sed expressis verbis indulgere; ex juribus apud Rotam *in rec. decis.* 765. *num.*2. Silentium tandem, quo in sua postrema epistola ad Ven. Ligorium data Sac. Congregatio Concilii de Synodi omissione usa est, eamdem certe impedimentum legittimum agnovisse, celebrationis impossibilitatem percepisse, Ven. Episcopi circumstantiis acquievisse, eidemque omittendæ Synodi *veniam* concessisse apertissime probat, ut in Tenderinii Causa probavit, imo tanto validius probat, quanto clarius patet ipsam Congregationem primum de Synodo fuisse sollicitam, ipsius tandem agnita impossibilitate de ea re ne verbum quidem amplius fecisse.

58 Ca-

(a) Novissim. Animad. in Causa V. Tenderini §. 10.

(b) In Sum. Addit. ad calcem novissimæ Posit. super. virt. Num. 1.

58 Cæterum argumentum quod a Ven. Tenderinii exemplo petiveram erat hujusmodi (*a*). Si PP. Sacræ *Rituum* Congregationi conscripti ad Ven. Tenderinium declarandum Heroem unam inter Collegiatas quæstionem impediendæ Synodi causam *legittimam* agnovere (licet per judiciales protestationes partium jura tecta, sartaque servari potuissent) longe, multoque graviore causa, quam Tenderinium, Ligorium præpeditum intelligent a convocanda Synodo *ob temporum, & locorum circumstantias*, quas ipse variare nequibat. In hodierno enim judicio illud unum inquiritur an Ligorius *legitime* ad celebrandam Synodum fuerit impeditus, quod a Vobis AA. PP. ex præfato documento R. P. D. Promotori tradito decernendum est.

59 Multum quidem Animadversioni debemus dum §. 15, *in fin.* Benedicti XIV. Sententias in hanc rem a nobis allatas (*b*) *lacinias* appellat, quæ, ut ipsa inquit, *si suis locis, e quibus motæ sunt restituantur, aliorsum omnino spectare quisquis animadvertet*; Si vero Sententiæ definitionem, naturam, ac ethimologiam tantisper attendat, nec non illarum, quas ex Benedicti XIV. opere *de Synodo* deprompta attulimus, applicationem advertat, ut docti sapientisque viri est, nec *lacinias* eas, nec *aliorsum spectantes* appellabit. *Sententia*, juxta Aristotelem lib.2. Rhetor. *est non de singularibus, sed de universalibus enunciatio, nec de omnibus universalibus, sed de quibuscumque operationes sunt, quæ ad agendum eligenda, vel fugienda sunt* = Pontificis autem Benedicti XIV. verba, quibus usi fuimus, *Prudentiam* spectant ab Episcopo adhibendam in iis quæ unam respiciunt disciplinam, eaque præscribunt, quæ in iisdem eventibus ab Episcopis eligenda, quæque fugienda sunt. Ergo sunt sententiæ, quæ afferri omnino possunt in singulis quæ ad disciplinam pertingunt. Et sane cum scripsit *loco cit. lib. 9. cap. 9. num. 9.* quod = *Ne Episcopus erret ac nimio, atque indiscreto zelo abreptus graves &c. discordias imprudenter excitet &c. temporum, & locorum circumstantias, sed & potissimum rerum, causarumque naturam diligenter consideret oportet*, hæc inquam scribit de non excitandis controversiis, quæ ad jurisdictiones pertinent. Quisnam ergo nos jure prohibet, ut hacce Sententia probemus parem Prudentiam adhibendam esse ab Episcopo ad celebrandam Synodum tali obstaculo præpedito, quod secus pares turbas excitaret, etiamsi Pontificis monitum *Synodi* verbum non sonet? Vel Synodus enim ad disciplinam non spectat; vel includitur *in specie* rerum omnium quæ disciplinæ sunt; proindeque Episcopus antequam Synodum celebret *temporum, & locorum circumstantias &c. rerum, causarumque naturam diligenter consideret oportet*, Ejusmodi item speciei alias esse Pontificis sententias in id a Nobis allatas facile intelliget qui eas suis locis restituet, & cum Ligorii circumstantia diligenter conferat.

60 Si vero quis a nobis ejusdem Benedicti XIV. sententiam exoptet ab eodemet opere de Synodo deprompta, quæ adamussim, ac syllabatim *Diœcesanam Synodum* sonet, eam cum cæteris ultro exhibemus. Est autem hujusmodi: Postquam Pontifex eos redarguerat, qui Synodos inutiles asserunt in *cit. Op. de Synodo lib. 1. cap. 2. num. 5.* ita pro-

(*a*) Præt. Resp. pag. 66. §. 132.

(*b*) Præt. Respon. pag. 65. in fin., & seq. §. 131. & 133.

prosequitur = *Episcopales Synodi, etsi maxime fructuosæ, NON tamen ABSOLUTE NECESSARIÆ dicendæ sunt pro recta Diœcesium administratione, cum ALII SUPPETANT MODI assequendi eumdem finem, ad quem Synodi tendunt. Jo. Matthæus Gibertus Episcopus Veronensis, cujus virtutes, & merita plurimum commendant illustrium Virorum testimonia &c. novemdecim annorum spatio præfatam Ecclesiam sanctissime gubernavit, & tanto temporis intervallo unicam Synodum coegit &c. ratus nimirum se* MUNERI SUO PLENE SATISFECISSE *cum singulis annis* DIŒCESIM VISITAVERIT, ALIAQUE MULTA PRÆSTITERIT, *quæ ad rectam sui Cleri institutionem conferre videbantur*. Restituatur quæso lacinia hæc suo loco, a quo mota est, & Synodum æque semper sonabit, nec aliorsum, quam ad Synodum spectare patebit. Ita enim scribere pergit idem Lambertinius loc. cit. = *Quæ a nobis dicta censeri volumus, non animo elevandi Synodorum utilitatem &c. sed ut* STATUAMUS EAS NON ESSE *omnino*, & ABSOLUTE NECESSARIAS; *utque Episcopus* (en Ligorii imago) *qui OB aliquod* IMPEDIMENTUM *suas* SYNODOS *juxta Tridentini Decretum* CONGREGARE NEQUEUNT *non propterea animum abjiciant, sed* ALIAS *suppetere sibi sciant* ARTES *succurrendi suarum Ovium indigentiis, earumque spirituali bono prospiciendi*. Quo tandem modum Episcopis exponat supplendi Synodi vices Epistolam refert Sac. Congregationis Concilii ad Episcopum Canariensem, quæ ita se habebat = *Sacra Congregatio certior a Te fieri cupit, an in unaquaque insula possent per annos singulos &c. aut omnes, aut major Clericorum pars, quibus Synodo interesse jus est, comode coire, vices suas uni, aut pluribus Procuratoribus delegaturi . . . Collatis tunc ipse consiliis quid agendum esset imperares veluti de Synodi sententia, imperataque illi ad suos adducerent, curarentque perfectum iri. Id enim vero SYNODI SPECIEM OBTINERET MAXIMUMQUE inde FRUCTUM CAPERES, quippe quid ubique tuæ Diœcesis agatur penitus internosceres, habitoque cum gravissimis viris, quales hujusmodi Procuratores creandi essent, sermone, MELIUS universis Ecclesiæ tuæ rebus CONSULERES. Hoc si fieri nequeat, Diœcesim Tibi PER EDICTA regere necesse erit quæ invalescentibus fortasse animorum morbis remedium in dies afferant, exacuant populos ad virtutem.*

61 Si hæc cum nostra facti specie conferantur, controversiam ultro definiunt. Constat enim I. Ligorium ex iis fuisse Episcopis a Pontifice descriptis, qui *ob impedimentum suas Synodos congregare nequeunt*. II. Doctissimum Ligorium ea in circumstantia juxta Benedicti XIV. monitum non abjicisse animum, sed rationem fuisse sectatum ab eodem Pontifice, & Sac. Congregatione Concilii traditam supplendo Synodi vices per privatas Cleri *sessiones*, & *per edicta*; utpote qui = *chiamava a consiglio i Parrochi, ed i Canonici per trattare gli affari riguardanti il bene spirituale della Diocesi* = utpote qui = *di continuo chiamava nella sua residenza persone Ecclesiastiche DA TUTTA LA DIOCESI, e specialmente ARCIPRETI, PAROCHI, E VICARJ FORANEI, e talvolta anche i REGOLARI, e di continuo altresì spediva EDITTI, NOTIFICAZIONI, ed altri ordini secondo il bisogno* = utpote, qui = *nelle difficoltà più gravi voleva sentire il parere DE' PRIMI DELLA SUA DIOCE-*

 SI,

SI, *e della sua Cattedrale*, *con tener SESSIONE per tal effetto con essi* =; ceu fuse per Testes probavimus *in præt. Resp. pag.* 67. §.135., *& pag.*68. *& seq.* §.137. *per tot.*, ubi consultissima ejus *Edicta* retulimus. Nil ergo reliquum probandum restat, nisi ut cum Postulatoribus Causæ Ven. Jo. Tenderinii concludamus (a) Ven. Ligorium *HEROIBUS Evangelicæ perfectionis adscribendum esse contendimus Apostolicæ Sedis judicio*, *prout adscripti fuere duo illa Valentinæ Metropolitanæ Ecclesiæ lumina THOMAS A VILLANOVA ab Alexandro PP. VII. inter Sanctos relatus*, *& Ven.* JOANNEM DE RIBERA (a Sa.me. PioVI. Beatorum fastis adscriptus) *tametsi NEUTER ullam Provincialem SYNODUM UMQUAM COEGERIT*; *ambo vero SESE ABSTINUERINT fere continuo a DIŒCESANIS SYNODIS celebrandis*.

DE RENUNCIATIONE EPISCOPATUS, ET PAUPERTATE

62 Postquam vigilantissimus Præsul Ligorius Pontificio adactus imperio per *tredecim* annos Agathensem Ecclesiam sanctissime rexerat; postquam in Episcopatu ter lethalem in morbum inciderat, tandem = *ne mandò la dimissione appiedi del Regnante Papa Pio VI.*, *il quale benchè di mal' animo*, *volentieri l'accettò a cagione della sua accagionata DECREPITEZZA*, *INABILITA' A POTERSI MUOVERE da se stesso*, *e per essere ridotto quasi SORDO*, *COL COLLO CURVO*, *declinato sul petto a cagione del famoso Reumatismo*, *che lo rese QUASI INABILE*, *E STORPIO sino alla morte*; *ne lo fece per menare in pace gli ultimi suoi giorni della vita*, *ed in ozio santo*, *ma bensì per così attendere alla propria coscienza*, *la quale veniva continuamente lacerata da scrupoli per vedersi INABILE AL GOVERNO*, *come egli avrebbe VOLUTO*, *E DOVUTO invigilare sopra le sue pecorelle &c. memore delle sue Vescovili obligazioni* =; verba sunt omnium Testium in Sum. Inform. *pag.*133. §.38., & *per totum* uberrimum *num.*10. inscriptum *de Episcopali munere*; ubi *pag.* 155. §. 194. cl. me. Cardinalis Giraud ad Ven. Ligorium Summi Pontificis nomine scribit = *Ha la Santità Sua sentito con vera amarezza di cuore LO STATO INFELICE DI SUA SALUTE*, *che lo determina ad un tal passo . . . convinto altresì DA MOTIVI GIUSTI*, *che ha di farlo*, *non vuol mettere in angustia il di lei spirito*, *ond' è*, *che accetta la rinunzia*.

63 Tacentibus ergo Nobis responsum jam *acta* dedere interroganti Animadversioni §. 16. = *Deerant ne illi vires quibus in suscepto onere perseveraret?* An respondendum e contrario sit cum egregio Censore: *Nullo modo*; is judicet qui acta legit; quique ex illis intelligit abdicasse se Episcopatu sanctissimum virum = *a cagione della sua decrepitezza*, *inabilità a potersi muovere da se stesso*, *quasi sordo*, *col collo curvo*, *quasi inabile*, *e storpio* = *INABILE AL GOVERNO*, *come egli avrebbe voluto*, *e dovuto invigilare*. Merito certe sapientissimus Pius VI. Ligorii rationes existimavit *motivi giusti* ad Episcopatum abdicandum. Nam *lo stato infelice di sua salute* erat ad

(a) In Novis. Resp. sup. Virt.pag.17. §.37. in fin.

ad id legittima causa ac nominatim expressa in Cap. *de Renunciat. X. Nisi cum pridem* = ibi = *Alia causa est debilitas corporis, quæ VEL ex infirmitate, VEL ex senectute procedit*, ibique DD. omnes.

64 Si vero Heroes Ecclesia deprædicat, qui unius humilitatis impulsu, ac uno cælestium amore se se Episcopatu abdicarunt, & anteactam Monasticam vitam repetierunt, inter quos præsertim eminent Sancti Gregorius Nanzianzenus, Petrus Damiani, & Summus Pontifex Cælestinus V. in cujus actis ad *diem* 19. *Maii* legitur: *Cum in Pontificatus sublimitate collocatus variis distentus curis assuetis incumbere meditationibus vix posse cognosceret, oneri pariter & honori VOLUNTARIE cessit; indeque priscam vitæ rationem repetens obdormivit in Domino*; quo quidem facto Deum Ecclesia exorat, *ut ejus exemplo cuncta Mundi despicere, & ad promissa humilibus præmia pervenire feliciter mereamur*; Si inquam hos tamquam Heroes veneratur Ecclesia, quanam modo ratione culpæ imputatur Alphonso quod Episcopatus *renunciationem tam enixe, tamque obfirmato animo a Summo Pontifice obtinere studuit*, cum constet illum, non uno duntaxat humilitatis studio, neque *per menare in pace gli ultimi suoi giorni della vita, ed in ozio santo*, sed causa a SS. Canonibus commendata, senectute scilicet, habitualique infirmitate, uno verbo, Gregis sui bono Episcopatum abdicasse? Summis imo hoc etiam nomine, maximisque laudibus extollendus est, nisi Canones, & Ecclesiæ spiritus immutentur.

65 Neque dicas (*Animad.* §.16.) illi non deesse vires, quibus in suscepto onere perseveraret, quia peracta jam Episcopatus abdicatione, superno illustratus lumine fore noscens ut novus Episcopus nonnisi post diuturnum temporis spatium illam Ecclesiam gubernandam adiret, ultro se obtulit ad eam regendam usque ad Successoris adventum; propterea que dixit = *Voglio scrivere al Papa, che mi faccia seguitare il governo sino a tanto, che non prenderà il possesso il nuovo Vescovo, di fatti scrisse in Roma &c.* Id enim non probat haud illi deesse vires senectute gravissimisque morbis omnino fractas, cum è contrario ex actis constet tunc vires ei defuisse *a cagione della sua decrepitezza, inabilità di potersi muovere da se stesso, ridotto quasi sordo, col collo curvo, quasi inabile, e storpio*; propterea que cl. me. Card. Giraud ad eum scripsit, quod *ha la Santità Sua sentito con vera amarezza di cuore* LO STATO INFELICE DI SUA SALUTE; sed probat heroicam ejus Charitatem in Proximum, qua bonus Pastor optabat animam suam ponere pro ovibus suis; probat scilicet ardentem ejus zelum, *ne grex qui fuerat suæ curæ commissus ex defectu præsentiæ Pastoris periclitaretur*, ceu totidem verbis ingenuus ipse Censor fatebatur (*a*) idque ipsum aperte probat dolentissima ejus vox ad novi Episcopi electionis nuncium emissa: *tutto fuoco esclamò Monsignor Rossi? POVERA CHIESA MIA quanto tempo starai senza Pastore* (*b*). Et sane licet ipse Episcopatum Summo Pontifici cesserit quia morbis senioque fractæ vires haud sibi amplius ad substinendum onus suppetebant; tamen cum per Epistolam a Cardinali Giraud rescivisset, quod, *il Santo Padre accetta la rinunzia di V. S. Illm̃a, ma con molto suo dispiacere . . . sentendo il Servo di Dio il dispiacere del Papa, rescrisse*

(*a*) Præt. Animad. §.64. (*b*) Præt. Animad. §.63.

scrisse al Card. Giraud, che ANCORCHE' CIONCO, *per non dispiacere alla Santità sua,* ERA PRONTO *a sacrificarsi in ossequio della di lui volontà, e che il Papa essendo persuaso de' giusti motivi non stimò contristarlo di vantaggio* (a). Pari ergo animi constantia, parique zelo ad suam regendam Ecclesiam se obtulit usque ad successoris adventum; quia = *ancorchè cionco era pronto a sagrificarsi* =.

66 Multo vero minus adhuc ei suppetere vires ad præcipua Episcopi munia subeunda probant hi Charitatis actus, quos post ipsam abdicationem exercuit, quosque diligenti calamo congerit Animadversio §.17. Si enim quoad vixit tamquam supremus Rector fundatam a se Congregationem gubernavit, gubernavit tamen e cellula (b) ita ut in ipso abdicando Episcopatu à Summo Pontifice petierit, quod *giacchè si era degnato di accettare la sua dimissione, lo avesse favorito del privilegio dell' Altare portatile nella sua stanza per se, e per gli altri, atteso che per le sue indisposizioni* NON POTEVA PIU' CALARE IN CHIESA *a celebrare* (c); gubernavit tamen per Vicarium, quem jam dum fuit ipse inauguratus Episcopus Sodales elegerant, & S. Congregatio Episcoporum, & Regularium negociis præposita die 25. Maii 1762. confirmaverat (d). Qua de re hoc ipso suo Vicario referente, cui vigilantiæ, & sollicitudinis onus Apostolica auctoritate impositum erat, regebat ipse Congregationem hortationibus, monitis, consilio, atque zelo. Quis nam vero Apostolicorum virorum regimen, cum universæ Diœcesis regimine comparabit? Quis nam audebit pios Missionariorum mores cum corruptis populi moribus scandalisque vel a longe conferre? Quis nam Animadversionem sanctum Episcopum semel dumtaxat a piis, doctisque viris innocenter deceptum redarguentem intelligens (§.27.) non enim acrius reprehensuram existimasset si se decipi passus fuisset postquam e cubiculo egredi amplius non valebat, ac si decipi ab aliis mallet, quam animarum curam deponere?

67 Sæpe item post Episcopatus abdicationem fuerit sermocinatus, quotidie ad quinque horas corpore quidem fractus, sana vero mente pollens in exarandos & edendos libros incubuerit; Confirmationis Sacramentum non publice omnibus, sed privatim aliquibus ægrotis (e) administraverit; petenti cuiquam opportuna consilia in sua cellula (f) non denegaverit; Ergo ne qui hæc privato *Charitatis* zelo exercebat Episcopale munus perfecte implevisset? Nonne Episcopi, non dicam in sua cellula, aut in una Civitate, sed per universam Diœcesim sibi concreditam, tamquam in specula constituti pastorale munus exercere tenentur? Nonne debent ipsi corrigere mores, crimina vindicare, Cleri disciplinam restaurare, eamque tectam sartamque servare, sacrarum virginum curam habere, ignaros instruere, Divinum cultum promovere, pauperum, viduarum, & Orphanorum causas agere, scandala evellere, gregis denique sui saluti totis viribus incumbere? At quomodo hæc exequi ille poterat, cui a planta pedis usque ad verticem capitis non erat sanitas ob

(a) Proc. Ord. S. Agathæ fol. 1094.

(b) Exposit. virt. pag. 90. §. 164. & §. 115. §. 225.

(c) Sum. Inf. pag. 131. §. 22.

(d) Sum. pag. 132. §. 29. pag. 134. §. 42. & passim num. 10. per tot.

(e) Exposit. virt. pag. 81. §. 146.

(f) Exposit. virt. pag. 78. §. 141.

ob rheuma, quo *si curvò la testa sul petto per l'attrazione de' nervi del collo, per la sordità che gli si doveva parlare colla tromba, quasi totale perdita degli occhi, a quali mali si aggiunse quello della rattura causa di farlo spasimare di continuo, il non potere dare un passo senza il sostegno degli altri, costretto a prendere un poco di riposo o seduto, o appoggiato a più coscini* (a) quid ultra? Itaque ab ipso virium languore sanctus hic vir robur, & spiritum sumpserit, eaque omnia munia exercuerit, quæ par est sanctum agere Sacerdotem, Episcopale tamen munus perfecte non implevisset; uti ad rem observat Chrysostomus *Hom. 1. in Epist. ad Tit. Cap. 1. 2. 4.* ibi = *Si Vir aliquis Episcopatu honoratus cui Ecclesiæ cura concredita fuerit, sitque virtute præditus, cæteraque omnia habeat, quæ habere par est Sacerdotem, verum præ nimia ægritudine semper in lecto decumbat*, QUID HIC PRODESSE POTERIT? *quam suscipere peregrinationem? Quo pacto visitare? quem increpare poterit? quem monere?*

68 Verbo cuncta complectar; quæ post abdicationem egit Alphonsus voluntaria *Charitate* peregit; ad ea quæ facere debuisset Episcopus ex *Justitia* fuisset adactus; Episcopus scilicet ad ANIMARUM CURAM ex divino præcepto tenebatur, ut in *Can. ex parte de Cler. non resid.* Hæc profecto ratio fuit, qua Episcopatus abdicationem tam enixe, ut Animadversio narrat, tamque obfirmato animo a Summo Pontifice obtinere studuit, *per così attendere alla propria coscienza, la quale veniva continuamente lacerata da Scrupoli per vedersi inabile al Governo, COME Egli avrebbe voluto, e DOVUTO invigilare sopra le sue pecorelle &c. memore delle sue VESCOVILI OBLIGAZIONI* (b).

69 Quamobrem vix a pastoralis sollicitudinis vinculis solutus, instar ejus qui sæva, ac diuturna tempestate jactatus e vado scopulisque emersit incolumis, gaudio gestiens *per vedersi liberato da continui timori di coscienza per lo conto strettissimo di dare a Dio per la Cura Pastorale*, ac sui Nucerini Collegii gradus ascendens exclamabat = *questa croce, che porto al petto, che tanto mi pesava quando salivo le scale del Palazzo Vescovile, ora si è fatta leggiera leggiera* (c) En ergo discrimen inter actus exercitos post abdicationem, ac illos quos exercere potuisset Episcopus. Tunc suæ tantum Animæ Episcopus vero omnium ovium animarum rationem redditurus fuisset; ceu ad rem perpendit laudatus Chrysostom. *in cit. Hom. 1. in Ep. ad Tit. 2. 3.* ibi = *Potest vel unum Episcopi recte factum ipsum in cælum attollere, & peccatum unum in ipsam gehennam dejicere &c. Si PRIVATUS fueris, & ignotus, etiamsi innumera admiseris peccata, UNIUS tantum ANIMÆ rationem dabis, & pro ea pœnas exsolves; cum autem in tantum principatum evectus fueris, cogita* QUOT CAPITUM TIBI PÆNA DEBEATUR: *Audi enim Paulum dicentem &c. obedite Præpositis vestris &c. quoniam ipsi vigilant pro Animabus vestris quasi rationem reddituri.* Interroganti autem Animad. §. 17. *cur non sapienti Clementis XIV. voluntati se præbuit morigerum, qui ei jusserat, ut vel infirmus, atque in suo*

le

(a) Exposit. virt. pag. 18.
(b) Sum. Inform. pag. 133. §. 38., & passim in num. 10. per tot.
(c) Exposit. virt. pag. 87. §. 159.

lectulo jacens oves suas pasceret informaretque? Acta respondent se morigerum præbuisse, atque ita morigerum, ut licet ab aliis Episcopis, amicisque suis eum acerbissimis vexatum morbis commiserantibus ad iterandas in id eidem Pontifici preces consultus, sæpiusque incitatus, omnino noluerit, ac per quinque annos, quot ille Pontificatum gessit, quamvis septuagenario major, *carico di malanni*, *cadente*, *e storpio* (a) tamen siluerit. Eo vero defuncto, cui per totam vitam paruerat, cum ad cætera valetudinis incommoda visus, auditusque imminutio accessisset, quæ ei impedimento erat Diœcesim regere etiam *da sopra il letto*, novo Pontifici exposuit *lo stato infelice di sua salute*, ita ut se profiteretur *pronto a sacrificarsi in ossequio della di lui volontà*, ceu paulo ante probavimus. Si vero hic Pontifex Ligorii rationes existimavit *giusti motivi* ad Episcopatum abdicandum, ejusque rei amplissimam ipsi potestatem fecit, quidnam oberat defuncti voluntas, cui jam cumulate paruerat?

70 Ex iis autem, quæ hactenus disseruimus, pulcherrime patet quam inepte ita argui Alphonsum posse (Animad. §.17.) = *Aut exercendo pastorali officio impar non erat Alphonsus, & lapsus est dum ejus abdicationem non tam petiit, quam impetravit, aut impar erat, & gravius est lapsus dum ei muneri impar supplicem Pontificem adiit = che mi faccia seguitare il governo sino a tanto che non prenderà possesso il nuovo Vescovo* =. In utroque enim eventu una, eademque causa fuit, *major* scilicet *suæ Ecclesiæ utilitas*, quæ Alphonsum impulit primum ad abdicandum Episcopatum, postea ad eum retinendum usque ad Successoris adventum, quem nonnisi post diuturnum tempus superne præsciebat eventurum. Quamvis enim causa *remota* abdicationis senectus, & habituales ægritudines forent, *proxima* vero non fuit recuperandæ valetudinis finis, sed quod senectute, atque morbis *si era reso inabile al Governo*. Qua de re in abdicatione major erat Ecclesiæ utilitas (in quam unam ipse spectabat) quod alter præficeretur Episcopus, qui bona valetudine utens totus Ecclesiæ gregisque saluti incumberet. In posteriore autem eventu, quo diu multumque novus Episcopus expectandus erat, major utilitas Ecclesiæ obveniebat ex sui, licet ægrotantis, mora, quam ex omnimoda, atque diuturna Episcopi privatione = *ne grex*, ut ipsa Animadversio monebat, *ex defectu præsentiæ Pastoris periclitaretur*.

71 De V. Viri *Paupertate* cum egregio Censore disserendum nunc est. Is enim qui in splendidissima Civitate patritio loco prognatus clarissimæ familiæ suæ primogenitis; arridenti Foro, Regiæ Aulæ honoribus, divitiis, & blandiloqui mundi deliciis pro Christi amore valedixerat; quique per arctissimam, quam adolescens fuerat ingressus, Evangelicæ Paupertatis viam senex item, & ad obitum usque constantissime incessit (b), is, inquam, in paupertatem peccasse objicitur (Animadv. §.18. & seq.) propterea quod Episcopatu abdicato, *pensionem* ex ejus redditibus a Pontifice acceperit, ac Currum, & famulum retinuerit.

72 Atque ut a Pensione exordium nostra ducat oratio, illud certo constat libere omnino, & absque ulla sibi reservata pensione in Pontifi-

cia

(a) Præt. Resp. pag.119. §.248.

(b) Exposit. virt. pag.109. & seq. de Paupertate.

cis PII VI. manus Episcopatum Ligorium dimisisse (*a*). Sapientissimus vero Pontifex, qui bene perceperat *lo stato infelice di sua salute*, justitiæ esse duxit ex Agathensis Ecclesiæ redditibus ei pensionem *motu proprio* assignare, qui pro illa Ecclesia animam suam ita posuerat, ut ob pastorales labores in arthritidem inciderit, qua in reliquam vitam obstipo collo, omniumque artuum immobilitate impeditus remanserat. Quis vero est in Canonicis rebus tam hospes, & peregrinus, qui nesciat hanc omni ævo providentissimam fuisse Ecclesiæ disciplinam, ut non modo peculiaris illius viduatæ Ecclesiæ utilitati per novi Episcopi electionem, verum etiam infirmi Episcopi necessitati per pensionem prospiciatur? ut in *Can.* 1. 2. & 3. *de Clerico ægrotante*, & *in Extra. de eod.* 6. 3. 4.; ac erudite præter cæteros exponit Tomassinius *de vet. & nov. Ecc. discip. part.*3. *lib.*2. *cap.*31. *per tot.* Ingrati certe, & irreverentis animi fuisset, si Pontificis voluntariæ liberalitati Ligorius obstitisset; nec in Paupertatem peccavit, si oblatam ultroque datam pensionem accepit, quia annosam infirmamque personam suam Ecclesia potius, pro cujus utilitate in habitualem inciderat ægritudinem, quam pauperrima Congregatio substinere, ac tueri debebat. Hac porro causa nulla is dispensatione indigebat, ut sine Paupertatis jactura pensionem a Pontifice Maximo sibi Episcopo assignatam acciperet; tanta vero is Paupertatis religione ducebatur, ut eam per S.Pœnitentiariæ organum petierit, & obtinuerit. Sed neque ipsi tanta religio profuit quin censuram effugeret *Animadvers.* §.19. quod *heroicarum Virtutum cultor*, & *Evangelicæ Paupertatis professor dispensationes*, *ac privilegia non quæritat*. At bone Deus! Si cum nullum omnino dubium de actionis honestate Ligorio incesserat ita Eum Animadversio redarguit §.12. *Nonne ad cautelam saltem Supremum Ecclesiæ Magistrum consulere debuisset*? cur eam modo eidem in suborta paupertatis lædendæ religione culpæ vertit, si *per maggior sicurtà* (sicurezza) *di sua coscienza ne fece scrivere al Sig. Cardinal Penitenziere, e così si quietò* (*b*). An quia heroicarum virtutum cultor dispensationes non quæritat? Ergo ne heroicitati obstat in *dubiis* dispensationes ad *cautelam* impetrare, vel *tutiorem* partem eligere?

73 Pari ratione, qua pensionem acceptans Paupertatem non læsit, non læsit etiam novum Agathensem Episcopum, ejusque Ecclesiæ Pauperes. Nam de Ecclesiæ redditibus ad calculum ductis minor est portio, quæ ab Apostolica Sede in pensionem assignatur, uberiore Episcopo ad sui substentationem, alendosque pauperes relicta; uti post alios refert Fagnanus *in Cap. Nisi essent de Præbend. num.*26. Et sane pensionem octingentorum Ducatorum ab Apostolica Sede Ligorio assignata, quam *ingentem summam*. Animadversio appellat, satis *exiguam* Regiæ Cameræ Administri existimarunt, qui propterea *sembrandogli POCO quel che il S.Padre avevali accordato, attesa la sua penosissima vecchiaja voleva aggiungergli ALTRI DUCATI CENTO*; religiosissimus vero Antistes, eo quo non modo paupertatem amore, verum etiam Apostolicam Sedem obsequio prosequebatur, *ciò inteso affatto non lo volle accettare* (*c*).

74 Si

(*a*) Exposit. virt. pag.110. §.213.
(*b*) Exposit. virt. cit. pag.110. §.213.
(*c*) Exposit. virt. pag.97. in fin. & seq. §.183.

74 Si Agathensis Ecclesiæ redditus *illius Diœcesis Pauperibus ex fundatione fuerant assignati* (Animad. §.19.) eos certe, nec Pontifex in assignanda Ligorio pensione, nec Ligorius in acceptanda læsit. Pontifex enim plenariam habet super universa Ecclesiæ bona potestatem, uti expresse legitur *in Cap. licet 2. de Præbend. in 6. & in Clementin. si duobus 1. ut lite pendente §. fin.*, ac erudite exponit contra Petrum Soave Nicolaus Pallavicinius (a) dum scribit = *Le Pensioni sono i tributi, che la Chiesa universale impone alle Chiese particolari, senza il sussidio di queste non potrebbero guidardonarsi &c. que' tanti, i quali impiegano i loro sudori, e spesso le lor facoltà, in servizio della Chiesa. E' convenevole dunque ai Pontefici l' imposizione di esse, per quel modo appunto, che conviene al Principe l' imposizione de' Tributi sopra le Terre del suo dominio*. Id vero si tanti in jure valet quoad universalem Ecclesiam, quanti nam in nostra facti specie valebit? Si enim Agathenses pauperes in illius mensæ redditus jus habebant, multo magis Ligorius habebat, qui non modo habituales morbos pro illius Ecclesiæ bono contraxerat, ab eaque proinde substentandus erat, verum etiam ad illius tantummodo utilitatem, ut scilicet ipsa bene valente provideretur Pastore, munus redditusque reliquerat, quibus *integris* si voluisset, licet *ægrotus*, ad obitum usque ultro libereque frui potuisset; juxta Textum *in Can. cum percussio de Clerico ægrotante*, ubi legitur = *Ad percipienda quæ consueta sunt ab Ecclesia tua ægritudo sua non debeat impedire, quia si alii essent ejus exemplo deterriti, forte non posset qui militaret Ecclesiæ inveniri*.

75 Quamquam quid loquor, ac si non de eo res esset, qui in alendos Pauperes superflua non modo, sed ipsa necessaria, & in suam substentationem impendenda erogare consuevisset? Ita sane. Qui enim parvo, pravoque victu utebatur (b), pensionem ad tuendam valetudinem suam a Pontifice datam in alendos Pauperes non dicam quoscumque, sed eos qui identidem ex Agathensi Diœcesi ad se communem Patrem turmatim adveniebant, juxta Animadversionis vota erogabat; imo vero fere totam pensionem ipsam ad eamdem Diœcesim, vel in menstruas eleemosynas, vel in pios usus insumendam quotannis remittebat. Id jam fuse per Testes probaveram in *Exposit. Virt. pag.*85. §.155. Sed eos hic iterum repeto.

V. Testis Proc. Ap. Nuc. (V. S. D. *Famulus de facto proprio*) Summar. pag.460. §.37. & 39.) *Il Servo di Dio dopo la rinuncia del Vescovado &c. occorrendo, che venivano POVERI DELLA SUA DIOCESI li faceva dare per mezzo mio cinque, o sei carlini per ciascuno*.

XXXV. Testis ejusdem Proc. (V. S. D. *Confessarius*) pag. 467. §.92. = *Della penzione, che gli aveva data per moto proprio il felice Regnante Pio VI. OGNI ANNO NE MANDAVA BUONA PORZIONE IN S. AGATA de Goti per impiegarsi in opere pie, ed in elemosine, e tutto questo SENZA VERUNA INTERRUZZIONE sino alla preziosa sua morte*.

XXXVII. Testis ejusd. Proc. (V. S. D. *Confessarius ordinarius*) Summ. pag.467. §.95. *Dopo rinunciato il Vescovado &c. dispensando continua-*

(a) Difesa del Pontific. Romano Tom.1. p.1. lib.15. c.16. n.5.

(b) Exposit Virt. p. 86. §. 157.

nuamente larghe elemosine &c. venendo fino da remoti Paesi, e specialmente dalla stessa SUA DIOCESI DI S. AGATA de Goti MOLTISSIME Persone bisognose.

XV. Testis Proc. Ord. Nuc. (V. S. D. *Socius* quo eleemosynario utebatur; *Summ. pag.*472.§.134. *pag.*479. §.180. *alibique*) Proc. fol.1307. *Frà li poveri, li quali erano da lui soccorsi si contavano anche li suoi passati DIOCESANI* =.

76 Desinat ergo religiosa Animadversio vereri Ligorium pensionem suam in Currum, & Servum impendisse, quamvis ex infra dicendis id jure potuisset. Sint autem aliis sanctitate minime præditis *currus* Episcopatus deliciæ (*Animad.*§.19.); minime tamen Alphonso, qui mala fere semper valetudine eo animo curru ad necessitatem utebatur, ut eum ad alendos pauperes, si necessitas postulasset, divendere paratus esset; quemadmodum anno 1764. eumdem currum, mulas, pretiosos annulos, pectoralem Crucem, ipsamque totam domesticam supellectilem divendidit, eorumque pretium dispersit, deditque Pauperibus (*a*). Non ergo *Currus*, sed PAUPERES erant Episcopi Alphonsi deliciæ; eaque de re jure ipsum *Nolensi Paulino*, *Thomæ de Villanova*, *Francisco Salesio*, aliisque celebrioribus eleemosynariis Episcopis supparem Testes perhibent in *Summ. num.*19. *per tot. de Charit. erga prox. quoad temporalia*.

77 Itaque Ligorius tam in Episcopatu, quam post illius abdicationem non ad deliciam, & comodum, sed ad *phisicam necessitatem*, *ad obedientiam*, ad *medelam* curru usus est. Quamdiu Episcopus fuit, præter lethales morbos ter fortiter tolleratos, tamdiù habitualiter ægrotavit (*b*). Quanta vero morborum phalange oppressus is foret cum Episcopatum abdicavit iterata non indiget probatione. Id unum commemorasse sufficiat remansisse *col collo curvo*, *inabilitato a potersi muovere*, *e caminare da se stesso senza l'altrui ajuto* (*c*). Hinc Medici ad ejus corpus succussorio motu excutiendum ante ipsam etiam Episcopatus abdicationem currus usum ei præscripsere; ceù *de propria scientia* deponunt

V. Testis Proc. Apost. Nuc. (V. S. D. FAMULUS) Summ.pag.342.§.22. *Usciva* SECONDO L'ORDINE DE' MEDICI *in carrozza*, & in Exp. Virt. pag 50. §.74. = *Quando usciva per prendere un poco d'aria in carrozza* PER ORDINE DE' MEDICI *mentre era Vescovo &c. ritiratosi in questa Casa dopo la rinuncia del Vescovato, quando usciva pure in carozza* PER ORDINE DE' MEDICI &c.

XXVIII. Testis cit. Proc. (V.S.D. SOCIUS) Sum.pag.351.§.105. *Quando però a causa de' suoi malori li fù* ORDINATO DA' MEDICI *di uscire un poco ogni giorno in Carrozza, in tutto questo tempo di sollievo, che non durava più di un'ora, anche dopo rinunciato il Vescovado, non perdè il tempo &c.*

XXX. Testis cit. Proc. (OCULATUS) in Exp. Virt. pag.50.§.74.= *Uscendo in Carrozza tanto nel suo Vescovado, quanto dopo la rinuncia del medesimo a prendere un poco di aria per i suoi acciacchi* ORDINATOLO DA' MEDICI &c.

(*a*) Vid. Informat. pag. 106. §. 360., & 361. & Sum. in locis ibid. cit.

(*b*) Sum. pag. 579. §. 6. pag. 583. §. 44. p. 587. §. 87. 89. & seq. p. 589. §. 119. & per tot. num. 26.

(*c*) Sum. pag. 131. post. §. 18., & passim in num. 10. per tot.

XLIV. Testis Proc. cit. (V. S. D. SECRETARIUS *in Episcopatu*) Summ. pag.367.§.244. = *Dopo aver fatto una spasseggiata in Carrozza per un' ora in circa secondo il* COMANDO DE' MEDICI.

X. Testis Proc. Ord. Nuc. (V. S. D. CONFESSARIUS) in Exp. Virt. pag.89. init. = *In accompagnarlo in Carrozza in un breve giro, che faceva per consiglio* DE' MEDICI.

78 Tam necessarium hunc succussorium motum Medici existimarunt, ut impare tandem Ligorio effecto ad descendendos schalæ gradus, a famulo per Collegii mesaulam curruca eum vehi oporteret, ceù præter innumeros alios ipse Famulus, & V. Viri Socius deponunt.

V. Testis Proc. Apost. Nuc. (*V.S.D. Famulus DE FACTO PROPRIO*) Summ. pag. 260. §.7. *In ultimo per la sua impotenza a muoversi non potendo più calarsi da noi in Chiesa, si portava per un corridojo di questa Casa situato sulla sedia colle ruote*.

XXVIII. Testis Proc. cit. (V.S.D. *SOCIUS* (Sum.pag.268.§.72. *Anche col farsi portare sopra di una sedia portatile di cuojo col farsi fermare dal Servitore*. Quibus concinit etiam Testis XI. V. S. D. *Confessarius* in Exp. Virt. pag.80. = *Negli ultimi tempi, che cionco girava* COLLA CARRIOLA.

79 Quamvis ergo V.Antistes haud pensionem ad Agathenses Pauperes quotannis remisisset; propterea que currus expensas, in Nucerino agro multo minores, quam in frequenti quavis urbe, haud ex redditibus e Neapolitano Doctorum Collegio, Nobilique Sedili suo perceptis detraxisset, quis unquam ei vetitum affirmaverit ex pensionis redditibus ad tuendam valetudinem sibi a Pontifice collatæ tantum detrahere potuisse, quantum necessarium habebat ad currus usum, quem ad ipsam tuendam valetudinem, ad necessitatem, ad medelam Medici sibi præscripserant? Nonne præceptum de propria incolumitate servanda a Naturæ Auctore ab ipsaque Natura hausimus, atque expressimus? Nonne præceptum habemus Eccl.38.1. *Honora Medicum propter necessitatem. Etenim illum creavit Altissimus. A Deo est enim omnis medela*? Nonne ipsa corporis exercitatio ad medelam pertinet? ipso monente Apostolo I. ad Thimoth.4.8. = *Corporalis exercitatio ad modicum utilis est*. Concludendum: eo modo *ad delicias*, ut Animadversiones ajunt, curru fuisse usum Alphonsum, quo, ingravescente morbo senioque, ad deliciam *carruca* usus est. Quid si jubentibus Medicis currus usum ipse remisisset? Quot censuræ, quot animadversiones in Obedientiam!

80 Fuerint item aliis *Servi* Episcopatus deliciæ, non erant Alphonso, qui modica Episcopus utebatur familia, cum *S. Laurentio Justiniano* dicere solitus *grandiorem alteram sibi in pauperibus* esse (*a*). Culpæ vero ei vertitur (*Animad. cit.* §. 19.) quod Episcopatu abdicato unum sibi *Servum* retinuerit. Proh scelus! Causam dicimus illius, qui Animadversione fatente §.17. licet senex *quotidie ad quinque horas in exarandos libros inque lucem edendos incumbebat*, Servi ergo ministerio indigebat; quemadmodum advertit S.Jo.Chrysostomus *Hom.1. ad Titum Cap.1. num.4.* ubi eos redarguens, qui Episcopo ob Servos succensent, ita scribit = *Quæso te an non debet ministro uti? Sancti quidem illi Viri Apostoli Eum qui doctrinæ insisteret, neque ad viduarum ministerium operam dare volunt*, sed id operis

illo

(*a*) Informat. pag. 105. §. 358.

illa indignum arbitrantur. Tu vero illum in Famulorum tuorum officium redigis? &c. Cur non Servum mittis tuum, qui illi ministret? Vis audire quomodo Apostoli se gesserint? Peregrinationibus operam dabant, & viri liberi, ac Mulieres nobiles ad illos recreandos & animas, & capita sua supponebant.

81 Verum non modo æquitatis, sed *Justitiæ* fuit, quod Alphonsus in Episcopatu abdicando servum non dimitteret, quem vix consecratus Episcopus e sutoria arte avocaverat ut sibi famulatum præstaret, ceù ille ipse deponit *Testis V. Proc. Apost. Nuc.* Sum. pag. 4. = *Ritornata da Roma nell' Anno 1762. mi prese al suo servizio &c. facendo io allora l'arte di Calzolajo.* Quomodo ergo is post diuturnum tredecim annorum famulatum quo artis præceptis, & exercitio expers remanserat, alimenta sibi comparasset si ab hero dimissus? Justitiæ item erat ne Alphonsus eum dimitteret Servum, qui per tresdecim solidos annos fideliter sibi inservierat, juxta monitum Eccles. 7. *Non loedas Servum in veritate operantem = Servus sensatus sit tibi dilectus quasi anima tua*, NEQUE INOPEM DERELINQUAS ILLUM ibid. = & Eccles. 33. = *Si est tibi Servus fidelis sit tibi quasi anima tua.*

82 Neque vero hic persequar generalem illam Animadversionis assertionem §. 18. quod *exempla non desunt virorum, qui ad claustra redierunt, & abjectis Servis primævam vitæ rationem omnibus aliis Consodalibus suis comunem iterum amplexati sunt.* Duo tamen speciatim dicam: & V. Ligorium ad claustra reversum, licet adhuc Episcopali dignitate, & charactere insignitum, annosum, morbisque attritum, primævam vitæ rationem consodalibus comunem perquam perfectissime iterum fuisse amplexatum (*a*), & minime servum obstare quominus quis comunem cæteris Consodalibus vitæ rationem instituat. Generali locutione non utor, sed speciale exemplum, & imaginem affero, quam exhibet sapientissimus Benedictus XIV., ut probet Sanctum Præsulem intra claustra comunem sequi Regularem observantiam, & Consodalium vitæ rationem, licet non modo Servi, sed etiam Amanuensis ministerio, atque opera utatur. Is porro est Ven. Cæsar Baronius, de quo idem narrat Benedictus XIV. (*b*), quod a Pontifice Clemente VIII. inter Protonotarios Apostolicos relatus *post dignitotem assumptam a Vallicellianis ædibus non exivit, NEC PRISTINUM VITÆ INSTITUTUM MUTAVIT* = quod quidem probat per hæc ejus verba = *Ego vero Domi habitu meo utor &c. FAMULUM UNUM accepi &c. præter hunc retineo* AMANUENSEM *meum*; *uno verbo* IDEM SUM, QUI FUERAM. Si profecto Lambertinius hocce exemplo utitur *loco cit.* ut ostendat veram a Sæculo segregationem, *quæ ab observantia voti* PAUPERTATIS & *obedientiæ causam habet*, consequens est Ligorii paupertati minime Servum obstitisse, sed ipsum in communi sectando Regularis vitæ instituto, licet utentem Servo, *eumdem esse qui fuerat.*

83 Attamen non modo characteris dignitas, non modo literaria occupatio, non modo Justitia ergâ fidelem servum, sed *phisica* item *necessitas* Ligorium prohibuit, ne in abdicando Episcopatu unum ipsum, quem habebat servum dimitteret, quemadmodum vicarium, secretarium, coquumque dimisit. Adeo enim mor-

F 2

(*a*) Exposit. virt. pag. 98. & seqq. a §. 184. ad 189. & in Tit. de Paupertate.

(*b*) lib. 3. Cap. 35. num. 10. in fin.

morbosa corporis inertia jam tum detinebatur, ut sine alieno fulcro, ne gressum quidem per se movere amplius posset. Rem dico ab actis didicitam, jam superius probatam, & ab omnibus omnino Testibus sæpe sæpius repetitam. Speciminis loco sint.

V. Testis Proc. Ap. Nuc. (qui est ipsemet *Famulus de propria experientia*) Sum. pag. 131. ante §. 19. = ibi = *Essendosi unite alla sua decrepitezza molte penose abituali, ed ostinate infermità &c., e sopra tutto essendo restato col collo curvo &c., ed* INABILITATO A POTERSI MUOVERE, E CAMINARE DA SE STESSO SENZA L' ALTRUI AJUTO.

VIII. Testis cit. Proc. (*oculatus*) Sum. pag. 581. §. 28. *Trovai che attualmente il suo Servente lo portava sotto del braccio &c. Io lo viddi portarsi quasi STRASCINANDOSI su i piedi con tanto incommodo, e pena attesa la sua GENERALE INABILITA' a potersi muovere da se stesso &c., mi mossi a pietà, ed avrei voluto prenderlo trà le braccia, e collocarlo sul suo letto per non vederlo più penare, ma il detto Servitore mi disse* = Nò lasciateli fare un poco di moto, che *così vogliono i Medici* =

XXVIII. Testis Proc. cit. (V. S. D. SOCIUS) Sum. pag. 584. §. 55. *oltre gli altri incomodi indicibili che dovè soffrire per tutto il tempo di Anni 17. restò* INABILE A QUALUNQUE MOTO CORPORALE SENZA L' AJUTO MIO, E DEL SUO SERVO, *o di altra caritativa persona*.

XL. Testis Proc. cit. (V. S. D. MEDICUS) Sum. pag. 588. §. 99. *Sò per certa scienza perchè ho trattato, e curato il Servo di Dio nel tempo che passò il rimanente de' suoi giorni in questa Casa di S. Michele dopo la rinuncia del Vescovado, che fu sempre &c. NON essendo* PIU' ATTO A CAMINAR SODO, *ma col sostegno di altri*.

I. Testis Proc. Ap. S. Agathæ (OCULATUS) Sum. pag. 275. §. 127. = *Vecchio, e cadente, non potendosi reggere in piedi ritornato in Nocera &c.* FACEVASI SOSTENERE, *o dal Fratello, o* DAL SERVITORE.

84 Apprime ergo patet tam necessarium ad gressum Ligorio fuisse Servum, quam cæteris hominibus crura; proindeque ipsum in *Paupertatem* ne hilum quidem peccasse, neque ullum censuræ esse locum, etiamsi ex pensione sibi ad valetudinem tuendam assignata, cæteroquin Agathensibus pauperibus fere tota ab eo remitti solita, mercedem servo persolvisset.

DE DOCTRINA

Uti Opposita heroicæ Prudentiæ

ET NUMQUAM DENEGATA PŒNITENTIBUS ABSOLUTIONE.

85 Postquam Sacra hæc Congregatio ad theologicam trutinam revocatis Operibus Moralibus, Asceticis, & Dogmaticis V. Alphonsi Mariæ de Ligorio consultissimo Decreto lato *die* 14. *Maii* 1803., & a SSmo D. N. PIO VII. confirmato die 18. *ejusdem mensis*, & *Anni*, pronun-

nunciaverat NIHIL *in his censura dignum repertum fuisse*, nemini amplius contra tanti Viri doctrinam non modo dicere, sed ne hiscere quidem licet. Hujusce porro jam latæ sententiæ vim probe noscens sapientissima Animadversio illud unum effugii sibi superesse duxit, haud aperta vi nonnullis morum regulis a doctissimo V. Auctore traditis, sive ejus morali systemati, sed ingeniosa *imprudentiæ* larva bellum indicere. Sed quid est hoc, nisi jam actum agere? Quid, nisi ad examen revocare scholasticas Catholicas quæstiones contra hujusce loci, judiciique formam, & finem? Inusserint enim aliqui privati scriptores systemati a Ligorio proposito *imprudentiæ* notam, jure tamen, ac sapientissime S. Congregatio, non juxta illorum placitum, de quo nihil interest, sed juxta Ecclesiæ Regulas, quæ scholasticas quæstiones non dirimit, in Morali Ligorii Theologia *nihil esse censura dignum* declaravit; declaravit, inquam, nihil esse *contra Fidem*, *vel contra BONOS MORES*, uti monet Benedictus XIV. *lib.* 2. *Cap.* 28. *num.* 5. Quam ob rem idem jam latum decretum omnem substulit metum, quod *inclinatis jam ac decidentibus hujus Sæculi moribus obvelumentum in Alphonsi nomine relictum intelligitur*; substulit item omnem imprudentiæ notam, *quam aliqui Scriptores eidem inhusserunt ob nonnullas regulas in morum doctrina ab eo traditas, quarum ductu frænum humanæ libertati non parum fortasse laxari arbitrati sunt* (Animad. §. 20.)

86 Non latebat siquidem Purpuratos Patres, qui sapientissimum illud Decretum tulere, non latebat doctissimum Theologum ad revidenda Ligorii opera ab iisdem electum, sententia Alphonsi de Castro a Benedicto XIV. relata *lib.* 2. *Cap.* 28. *num.* 9. quod = *Sunt plerique, qui sic afficiuntur aliquorum hominum scriptis, ut si forte quempiam viderint, qui vel digito transverso ab eorum sententia discedat* . . . . . *HÆRESIM* (imprudentiam) *STATIM INCLAMANT &c. Quare fateor me non posse cohibere iracundiam quoties video aliquos ita addictos hominibus aliquorum scriptis, ut impium autument si vel in modica re quis ab eorum sententia discedat. Volunt enim hominum scripta velut divorum oracula recipi &c. Non juravimus in verba hominum, sed in verba Dei.* Jure ergo meritoque idem doctissimus Pontifex ad Canonizationis effectum, in quem unum modo spectamus, firmissimum hunc Canonem ex Pavino sequendum proponit *loco cit.* = ibi = *Ideo ad rem nostram quadrant asserta Jo. Francisci de Pavinis in Relat. Causæ S. Bonaventuræ &c. ubi postquam laudibus extulit Sancti doctrinam concludit* NON ESSE CURANDUM SI ALIQUI THEOLOGI ILLI ADVERSENTUR, *cum judicium ferendum sit non juxta eorum placitum, sed juxta regulas Ecclesiæ = Et si forte nonnulli Theologi asserantur* TENERE CONTRARIUM *ejus, quod ipse aliquando determinat, dico* NON ESSE FACIENDAM VIM ALIQUAM.

87 Neque uni S. Bonaventuræ accidit, quod aliqui Theologi suæ Doctrinæ fuerint adversati, sed aliis item paris doctrinæ, & Sanctitatis laude commendatissimis. Præterea vel inter se disceptantes, vel ab aliis lacessitos, Augustinum, Hieronymum (*a*) Epiphanium, Chrisostomum.

(*a*) Vide Augustinum, & Hieronymum *ad Oceanum, & in Can. Acutius dist.* 26. in eadem quæstione dissentientes *Epist.* 83.

mum, (a) aliosque celebres Ecclesiæ Sanctos, ac recensiorem commemoro *S. Franciscum Salesium*, qui ut Ligorius, sapientissimis scriptis lenitatis spiritu refertis Animas ad salutem dirigens eadem ac Ligorius *imprudentiæ* censura notatus fuit, uti refert P. Gravina (b) utpote *quidquid primo mentem subibat id probabat; modo pietatis speciem præseferret*. Aureus quoque, ac pene divinus hujusce S. Præsulis liber inscriptus *Introduzione alla vita devota*, de cujus excellentia, ac laude nulla unquam ætas conticescet, suos nactus fuit Adversarios, eosque Regulares, qui doctrinam ejus, præsertim *circa mores*, oppugnarunt; adeo ut S. Auctor ad illius suscipiendas vindicias fuerit impulsus, quas edidit in Præfatione ad Tractatum *dell'Amor di Dio*, quasque postea acerrime repetiit doctus Petrus Camus Episcopus Bellicensis (c). Et si vero calumniosæ hæ censuræ Salesii nomen corrosuerint, obstare tamen nequivere, quominus Ecclesia ejus libros *Cœlesti Sapientia refertos* in ipsius actis declaraverit; quemadmodum nihil Sanctitati detrahunt vel Hieronymi Rufini scripta, vel Bonaventuræ doctrinæ suæ oppugnatores. Ita quoque metuendum non est, quod ea scripta, quibus, nescio quis, Ligorii doctrinam impugnavit, *quamdiu ab Ecclesia non rejiciantur, tamdiu Alphonsi nomen corrodant* (Animad. §. 21.) quia, tum ipsius doctæ V. Ligorii vindiciæ, tum Apostolicæ Sedis Decretum ora obtrectantium, si qui fuerunt, obstruxit. Imo eæ ipsæ concertationes Ligorii Sanctitati novam lucem addidere, quippe instar Salesii (d) in se prolata convicia heroica charitate excusavit (e). Jure igitur Augustinus scripsit (f) *Quanta & de ipsis Luminaribus fingunt Homines, & patienter ferunt! Quomodo justi patienter debent ferre omnes etiam de se falsas criminationes? Hoc ipsum quod jamdudum dixi, quia illa stella Mercurii est, & illa stella Saturni est, & illa stella Jovis est, convicia fiunt stellis. Quid illæ cum audiunt tanta convicia? Numquid moventur, aut non exercent cursus suos?*

88 Fuerint ergo *docti*, ceu Animadversio opinatur, fuerint *bene morati* qui cum Ligorio de Scholastica re disceptarunt; ergo ne ipse imprudens quia hoc nomine forte ab illis lacessitus? Minime sane. Non enim qui, sed, quæ dixerint ponderanda, uti ad rem advertit Hieronymus contra Rufinum (g) *Non considero quid tu merearis, sed quid me deceat*; & ad Pamachium, & Oceanum (h) *Omittam personas, rebus tantum, ac criminationibus respondebo*. Respondit jam criminationibus ipse Ligorius, ac tam fuse, solideque respondit, ut me potius calamus, diesque deficeret, si ejus argumenta recensere contenderem.

89 At quoniam mihi viderer haud satis cumulate satisfecisse muneri si ejus, qui in hac sanctitate judicii, licet abs re, doctrinæ imprudentia

(a) Quæstiones inter Chrisostomum, & Epiphanium narrant Sozomenus *lib. 9. Cap.15., & 16. &* Socrates *lib. 6.Cap.16.*

(b) Tratten. Apolog. sul Probabilismo part.2. pag.516. n.627.

(c) Vid Prolog.ad Introduc. ad Vit.devot. §.IV. inscript. *Notizie &c.* per tot.

(d) In cit. Prolog. ad Introd. ad vit.devot. §. IV.

(e) Th. Moral. lib.1. Tract. 1. de consc. circ.fin. §.Hæc omnia.

(f) In exordio narrationis Psalm. 93. num.5.

(g) Litt.III. Apolog. contra Rufinum col. 435. Edit.Maur.

(h) Epist. XLI. Tom.4. cit.Edit.Maur.

tia notatur summis saltem labils (ut actionis forma fert) Prudentiam non ostenderem; hinc V. Auctoris Morale systema strictiori, quo possum, calamo exponam, quo pateat, idem eximiam præseferre Prudentiam, tum firmitate Doctrinæ, tum ipsius Doctrinæ applicatione ad finem, in qua potissimum Prudentia versatur. Et sane docuisse constat I. quod si opinio pro lege sit *probabilior* eam sequi tenemur. II. Quod in concursu duarum æque probabilium *non sufficiat sola probabilitas ad licite operandum*, sed requiritur moralis certitudo ex certo dictamine conscientiæ, quo agens suasum habeat quod *recte* agat. III. Quod in supposito concursu duarum æque probabilium, cum sola probabilitas, ut diximus, haud firmum præbeat fundamentum ad licite operandum, opinio pro libertate, quæ *æquali* potitur probabilitate, ac opposita, *quæ stat pro lege* (verba sunt V. Auctoris) *grave immittit dubium an existat lex, quæ actionem prohibeat, ac proinde sufficienter promulgata minime dici potest, ideoque dum eo casu promulgata non est, nequit obligare; tanto magis quod lex incerta nou potest certam obligationem inducere; Et hæc est* SENTENTIA D. THOMÆ, QUAM EGO SEQUOR, *& quæ certa mihi apparet*; quamque solide firmat ipsius Angelici Doctoris verbis ex plurimis locis depromptis, nec non verbis Textus Canonici, S. Augustini, S. Antonini, Gersonis, S. Isidori, S. Raymundi, Lactantii, Dominici Soto, Jo. Nyder, Bernardi de Claromonte, Gabrielis, Biel, Card. Lambertini postea Benedicti XIV., Melchioris Cani, P. Suarez, P. Jo. Laurentii Berti, Josephi Rocafull, Jo. Idelphonsi Dominicani, P. Eusebii Amort, Vasquez, Card. de Lugo, Manstrii, Holzman, Roncaglia, Salmant; aliorumque.

90 Quid, Deus immortalis! Quid hac doctrina firmius, quidve solidius? imo dicam, quid magis *Prudentiæ* consonum, quam Angelici Doctoris, cujus Instituto, & Doctrinæ Ligorius addictissimus erat, S. Augustini, S. Antonini, S. Raymundi, ac tot aliorum, tantorumque Doctorum inhærere sententiis? Merito itaque V. Auctor ita concludit (a) ,, Posito igitur principio a D. Thoma tradito,
,, ac satis superque probato quod = *nullus ligatur per præceptum*
,, *aliquod, nisi mediante scientia illius præcepti* = quod idem est,
,, ac dicere non posse legem incertam certam obligationem induce-
,, re &c. si quis de hujus sententiæ certitudine rationem exposcat,
,, breviter ei ex omnibus in hoc Monito probatis respondebitur,
,, quia *lex dubia non obligat*. Et si quærere perget cur lex dubia
,, non obliget? respondebimus hoc succinto argumento: *Lex non*
,, *sufficienter promulgata non obligat; Lex dubia non est sufficien-*
,, *ter promulgata (quia dum lex est dubia promulgatur sufficienter*
,, *dubium sive quæstio, sed non promulgatur lex) Ergo lex dubia*
,, *non obligat*. Qui argumentum hoc inficiari vellet probare debe-
,, ret, vel quod lex etiam non promulgata obligat, vel quod lex
,, dubia est vere promulgata contra id quod *expresse docet S. Tho-*
,, *mas*, ex alii communiter &c. sed numquam harum propositio-
,, num ullam probabit in æternum. Hæc tandem sit conclusio hujus
,, sententiæ: Spectato pondere æquali utriusque opinionis, homo
,, dubius remaneret, neque operari posset: spectata autem vi le-
,, gis, cum ipsa eo casu non sit sufficienter promulgata non obligat,
nec

(a) In cit. Morali pag.15. col.2.

„ nec ligat. Et ideo homo utpote ab hujusmodi lege dubia non li-
„ gatus, redditur certus de sua libertate, & sic licite operari po-
„ test = Et pag. 32. §. *Objiciunt* scribit = Nec negari potest nostram
„ sententiam saltem per octoginta, aut etiam nonaginta annos circi-
„ citer *comunem* fuisse apud Moralis scientiæ Auctores „

91 Ex his ergo apertissime patet hujusce doctrinæ *Prudentia*, ex fine scilicet, in quem V. Auctor intendit, ut homo *licite* possit operari. In conflictu enim duarum opinionum *æque* probabilium dubius quis hæret utri assentiatur, quia sola probabilitas utrique comunis haud firmum fundamentum præbet ad licite operandum. Statim ac vero quis certum principium sibi proponit, quod Lex dubia non obligat, æque probabilis opinio quæ stat pro libertate *probabilior* evadit, proptereaque homo non amplius dubius agit, sed se movet ex recto dictamine conscientiæ ad libere honesteque agendum. Numquid per hujusmodi systema, quod ad veritatem in dubiis assequendam viam sternit, & dubiam, proptereaque illicitam hominis operationem removet, *frænum humanæ libertati non parum laxari metuendum est*? (Animad, §. 20.) Metuere id poterit qui laxismi indolem cum honesta hominis operatione confundat; Frænum humanæ libertati relaxat opinio, quæ non certo Theologorum principio nititur; frænum humanæ libertati relaxat opinio, quæ cuique argumento *solitarie sumpto* ad ipsam constituendam *probabilitatem* inepto nititur, rejectis aliis gravissimis in contrarium moventibus; frænum humanæ libertati relaxat opinio, quæ unam quærit excusationem in peccatis; Hinc maximam inter benigniores opiniones, ac laxiores differentiam intercedere Theologi docent. Laxiores, neque probabiles dici possunt, neque elegibiles; contra vero quæ benigniores vocantur. Aliud enim est peccatorum vitiis indulgere, aliud recto conscientiæ dictamini, actionisque honestati consulere; aliud navim eatenus exonerare mercibus, ut incolumis portum teneat, aliud saburram quoque detrahere, quo jactata fluctibus facilius magisque periclitetur; illud prudenter agit Nauclerus, hoc nonnisi imprudenter. Quid ergo commune inter laxismum, & Ligorii systema, inconcussum nimirum principium omnium Theologorum, & Canonistarum ore firmatum? *Quæ participatio Justitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras? Quis consensus Templo Dei cum idolis?* (ad Cor. 2.6.14.16.)

92 Veritatine lucem occludere debebat Alphonsus, ne benignior sententia per firmissimam theologicam regulam *probabilioritatem* assequeretur? contra ac scribit Chrisostomus Hom. 23. in Matth. = *Si Deus benignus est, ut quid Sacerdos est austerus? Vis apparere Sanctus? Circa vitam tuam esto austerus circa alienam benignus*. Libere dicam; *Imprudentiæ* notam sibi captasset si docuisset dubiam legem *certam* obligationem parere. Nova enim, proindeque duriora præcepta statuisset, quæ humana conditio substinere non posset; uti ad rem observat Ecclesiæ Doctor Ambrosius in *Psalm.* 118. *serm.* 5. *v.*6. = ibi = *Sunt etiam in nobis, qui habent timorem Dei, SED NON SECUNDUM SCIENTIAM, statuentes duriora præcepta, quæ non possit humana conditio substinere. Timor in eo est quia videntur sibi consulere disciplinæ, opus virtutis exigere; sed INSCITIA est, quia non compatiuntur naturæ, non æstimant possibilitatem.*

93 Sci-

93 Sciscitor, hic ab ignoto illo scriptore Ligorium imprudentiæ accusante, an eamdem notam impingat etiam S. ANTONINO, qui *in Sum. part. 1. tit. 13. cap. 20.* = aperte scribit = *Inter duram, & benignam circa præcepta sententiam BENIGNA est potius cæteris paribus interpretatio facienda* = tit. 3. cap. 10. §. 10. = *Eligere viam tutiorem consilii est, non præcepti* = & part. 2. tit. 1. cap. 11. §. 31. *Inducunt illud* = *In dubiis tutior via est eligenda* = *respondetur hoc esse verum de honestate, & meriti majoritate*, NON DE NECESSITATE SALUTIS *quoad omnia dubia; alioquin oporteret omnes Religionem intrare*. Auderet ne idem Scriptor, nescio quis, imprudentiæ notam inurere item *S. BERNARDINO Senensi*, *qui* (*tom. 1. Fer. 2. post Dom. Quinq.*) ita scribit = *Secundum Scotum, & Hostiensem quando sunt diversa jura, & opiniones, quæ tamen non sunt contra Deum, & bonos mores cæteris paribus HUMANIOR PRÆFERENDA EST*. Si profecto ignotus ille Scriptor hujusmodi Sanctis, doctisque Viris haud imprudentiæ notam inurere auderet, quod ejus religio suadet, quonam sobrio judicio, quove Dialecticæ præcepto hanc ipsam notam inurere Ligorio potest? Ei, inquam, qui non, ut illi, docuit *cæteris paribus*, scilicet duabus æque probabilibus opinionibus concurrentibus libere præferendam esse *humaniorem*, & *benigniorem*, sed ad prudens efformandum judicium, & *probabiliorem* inter probabiles amplectendam utendum esse certo illo Theologico præcepto docet quod lex dubia non obligat?

94 Quamquam quid loquor, quidve probare contendo prudentem fuisse Ligorium, utpote qui inter duas æque probabiles opiniones benigniorem sequi docuisset, cum constet Eumdem secutum fuisse non modo probabiliorem, sed omnino TUTIOREM? Probatio in promptu est. Utraque opinio ex duabus illis, in quarum conflictu Ligorii systema versatur, cum æque probabilis sit, etiam æque tuta est. Consideranti vero certam regulam illam quod *lex dubia non obligat*, sive quod *lex incerta non parit præceptum certum*, sine quo non datur peccatum, probabilis opinio pro lege, non amplius tuta, sed dubia occurrit; alia vero opposita quæ stat pro libertate, cum sola *tuta* remaneat, TUTIOR evadit, proindeque *necessario* eligenda. Neque ingenii mei, quod sentio quam sit exiguum, argumentum hoc est, sed acceptum ab ipso docto *P. Concina*, qui exponens regulam: *In dubiis tutior pars est eligenda* (a) ita docet = *Tutius primo sumitur comparative ad oppositam partem tutam. Status Religiosus tutior est Laicali, & Matrimoniali. Uterque tamen status Laicalis, & Matrimonialis tutus est. Secundo adversative ad partem non tutam, sed dubiam, quo in sensu sola pars tutior in dubiis tuta est, idcirco tutior præcipitur eligenda. Pars tutior dicitur per recessum a peccato. Pars probabilior per conformitatem ad legem, & veritatem*.

95 Statim ac vero opinio pro lege dubium præsefert existentiæ, vel promulgationis ipsius legis, opposita pro libertate eo in dubio præter juris æqualitatem certum exhibet titulum suæ possessionis, qui æqualitatem tollit, proindeque *tutior* evadit. Homo enim, qui est in possessione suæ libertatis ligari nequit ab incerta lege, propte-

 rea-

(a) Epit. Theol. Moral. lib. 2. apparat. Cap. 3.

reaque debet absolvi, non vero damnari ad executionem incerti praecepti; quemadmodum opportune idem P. Concina explicans hanc regulam = *melior est conditio possidentis* = ab exemplo argumentatur. (a) *Bona fide agrum possides, titulum possessionis, & dominii in controversiam vocat Adversarius lite contestata. JURA omnino aequalia apparent post diligens examen. Tunc POSSESSIO TOLLIT ÆQUALITATEM, & ager adjudicatur possessori. Haec itaque secunda Regula optime conciliatur cum prima*: In dubiis tutior pars est eligenda = *Siquidem illa pars, quae ultra juris aequalitatem affert etiam possessionem, TUTIOR EVADIT. Hac ratione vera quoque est regula haec*: In dubiis melius est favere Reo: *Quoniam dum dubium versatur inter Reum, & Actorem TUTIUS EST DUBIUM REUM ABSOLVERE, quam damnare. De duobus enim malis necessariis tutius est minus eligere. Minus autem malum est reum absolvere, quam innocentem damnare*. En ingenia, quae Ligorius sequitur, quae si luxuriantia sint sagax judicet Animadversio. Nobis certe imprudentiae nota accusandus non videtur, nisi nostra nos fallat opinio, qui ipsorum Probabilioristarum regulis suam doctrinam firmat, quique certa illa regula utitur, quod *lex dubia non obligat*, ut TUTIOREM opinionem sequatur.

96 His ipsis P. Concinae principiis tam impartialiter Ligorius utitur pro utraque opinione, ut in eventu, quo opinio quae stat pro libertate sit probabilis, vel dubia, ipse doceat standum esse pro lege juxta juris axioma, quod *in Dubiis melior est conditio possidentis*, quia tunc possessio quae stat pro lege tollit aequalitatem. Speciminis loco sint, quae scribit *Moral. lib. 4. num. 76.*, ubi proposito dubio,, *Si quis probabiliter judicet implevisse votum, horas Canonicas, sive poenitentiam, an teneatur eam satisfacere, si adhuc probabile sit, vel dubium, non implevisse?* Respondit = *Negant plures Auctores, sed oppositum est tenendum, quia POSSIDET OBLIGATIO jam contracta donec certe non fuerit impleta*. Et alibi = *Censeo cum Concina, Antoine &c. Votum implendum esse; cum enim Votum est certum POSSIDET OBLIGATIO implendi Votum*. Et lib. 2. *num. 39.* eodem principio nixus docet furem teneri semper ad restitutionem in dubio, quod res furata, licet per fidelem virum ad dominum missa, fuerit nec ne ad ipsum perventa; *& lib. 6. num. 477.* docet *teneri poenitentem* confiteri peccata certe commissa, si postea sit *in dubio*, vel probabiliter reputet illa confessa fuisse. Uno verbo: toties id docuit, quoties se occasio obtulit disserendi de eventu, quo opinio, quae stat *pro lege* habeat pro se possessionem.

97 Concludam ergo, quod si sapiens Ligorii systema privatis quibusdam Scriptoribus non placuit, placuit tamen aliis multitudine infinitis, ac doctrina praestantissimis, qui ipsum in hac quaestione omne tulisse punctum existimarunt; propterea que per totam Italiam, Hispaniam, Germaniam, aliasque orbis partes ejus Theologiam moralem summo plausu excepere. Si tandem aliqui Ligorium imprudentem temere appellarunt, CHRISTUS tamen, qui pronus est ad Clementiam, ipsum prudentem appellat, quod modum invenerit

quo

(a) Loco cit.

quo homo absque divinæ legis, suæque conscientiæ dispendio in æque probabilium conflictu benigniorem sententiam tamquam *tutiorem* possit amplecti, quemadmodum testatur Hieronymus Epist. 151. *ad Algasiam quæst. 6. tom. 3.*, ibi = *Si dispensator iniqui mammonæ domini voce laudatur quod de re iniqua sibi justitiam præparavit, & passus dispendia dominus laudat dispensatoris PRUDENTIAM, quod adversus dominum quidem fraudolenter, sed pro se prudenter egerit; quanto magis Christus, qui nullum damnum sustinere potest, & pronus est ad clementiam*, LAUDABIT DISCIPULOS SUOS *si in eos qui credituri sibi sunt* MISERICORDES *fuerint?*

98 Hactenus generatim cum egregia Animadversione de uno, vel altero ignoto Scriptore; pergo nunc ad *Carolum Blascum* ad quem eadem Animadversio §. 21. nominatim appellat. Is autem etsi in re, in qua quisque abundat in sensu suo, sapientissimo Ligorii systemati (recte nec ne nihil ad nos) non sese subscribat, nunquam tamen ipsi *imprudentiæ* notam inussit; imo vero prudentem ostendit. Scribit enim *loco exadv. cit.* = *Non si può, se non LODARE IL FINE, che ha avuto* (Ligorius) DI FACILITARE LA STRADA DEL PARADISO. *Egli non contento di aver giovato al Prossimo con utilissimi libri di pietà, di devozione, e di altre materie edificanti ha creduto ancora recargli giovamento con illuminarlo per mezzo della sudetta Dissertazione, e di altri scritti in difesa di essa di non essere astretto ad* INDOVEROSI RIGORI, *ma di seguire la* VIA DI MEZZO *&c. vuole &c. che non sieno già tenuti ad osservare i dubbj precetti per lo principio da lui come certo tenuto, che dalla legge dubia, ossia incerta, non ne nasca obbligazione*. Si ergo præcipuum christianæ Prudentiæ munus est respicere, tamquam terminum, ultimum supernaturalem finem, & ad eum media dirigere, uti docet Angelicus *quæst. 47. art. 2.* = Si Blascus affirmat Ligorii systema tendere ad finem *di facilitare la strada del Paradiso*; Proximumque docendi *di non essere astretto a indoverosi rigori, ma di seguire la via di mezzo*; consequens est eumdem Blascum ea PRUDENTIÆ laude commendasse Ligorium, qua Ecclesia commendat SALESIUM, dum de illo narrat in *ejus actis ad diem 29. Januarii* = *Suis scriptis cœlesti doctrina refertis Ecclesiam illustravit, quibus ITER ad christianam perfectionem tutum, & PLANUM demonstravit*. Qua vero ingenuitate Blascus Ligorii Prudentiam extulit ob finem, ad quem idem intendit, eadem quoque ejus Prudentiam extulisset, si illius systema ad TUTIOREM amplectendam sententiam ex ipsis Probabilioristarum regulis directum agnovisset.

99 Perperam autem ac prorsus abs re ad doctissimum Card. *Gerdilium* nos animadversio provocat, quo probet regulam illam *legem dubiam obligandi vim nullam habere &c. cum Prudentia, ac sobrio judicio consistere non posse*. (Animad. cit. §. 21.) Ubi nam quæso amplissimus ille Vir doctrina magis, quam Vaticana Purpura clarus, firmissimam hanc regulam vel rejecit, vel minus prudentem reprobavit? In aurea illa, cedroque digna oratione, quæ nobis obiicitur *de causis accademic. disput. in Theologia Morali* sapientissime exponit distinctionem inter *probabilitatem argumenti*, & *probabilitatem judicii*, inquiritque quodnam argumentum *probabilis*

 nomen

nomen mereatur. Hinc *pag.418. exadverso cit.* hæc de legis interpretatione scribit = *Non ea prudens est censenda interpretatio legis, quæ uno tantum, ac veluti SOLITARIO probabili argumento nititur. Atque hic sane probabilitatem Prudentia deficit . . . Probabilia loca sunt ex quibus argumenta sumuntur, quæ valere possunt ad fidem faciendam; omneque argumentum ejusmodi habet suam probabilitatem, estque dignum hoc nomine, quod consideretur, ac perpendatur.*

100 Si ergo quis *Gerdilii* doctrinam ad rem nostram transferre contenderet, probare utique deberet docuisse Ligorium tamquam *probabilem* tenendam esse opinionem illam, quæ *uno tantum, ac veluti solitario probabili argumento nititur*, non autem argumentis, quæ *valere possunt ad fidem faciendam*. Atqui contrarium omnino docuit. Docuit enim (a) quod hujusmodi opinio *tenuiter* tantum esset probabilis, propterea que reiicienda. En illius verba: *Opinio tenuiter probabilis est, quæ aliquo fundamento nititur, sed* NON TALI, UT VALEAT ASSENSUM *Viri prudentis* AD SE TRAHERE; *hac autem opinione* NEQUIMUS LICITE UTI. Imo vero tam bene doctus Ligorius cum docto Gerdilio congruit, ut si ille docuit *probabilia loca esse ex quibus argumenta sumuntur, quæ valere possunt ad fidem faciendam*; hic item docuit *loco cit.* quod opinio *probabilis est, quæ gravi fundamento nititur, vel intrinseco rationis, vel extrinseco auctoritatis, quod valet* AD SE TRAHERE ASSENSUM VIRI PRUDENTIS, *& si cum formidine oppositi.* Firmissimæ autem huic basi tam a se, quam a doctissimo Gerdilio positæ Morale Ligorii systema nititur: In supposito enim concursu duarum opinionum *æque probabilium* (ea probabilitate, quæ valet ad se assensum trahere, quæque valet ad fidem faciendam) etsi utraque libere seligi posset, quia utraque ea probabilitate gaudet, quam doctus Gerdilius requirit; Ligorius tamen in proposito sibi conflictu prudentis judicii rationem exquirens animadvertit, quod opinio illa, quæ stat pro libertate, cum æquali potiatur probabilitate ac opposita, quæ stat pro lege, grave quidem immittat dubium an existat lex, quæ actionem prohibeat, vel sufficienter fuerit promulgata. In hoc ergo dubio prudentis viri menti certum illud axioma proponit ex Angelico, aliisque Theologis petitum, quod *lex incerta non potest certam obligationem inducere*, quod quidem tanti valet ad fidem faciendam, ut omne dubium ad agendum removeat, æque probabilem opinionem pro libertate *probabiliorem*, imo TUTIOREM reddat, judiciumque omni ex parte *prudentissimum*. Vide quam bene opposita nobis Card. Gerdilii doctrina Ligorii doctrinam probet, patrocinetur, strenueque tueatur. Vide quam bene ex doctissimi Gerdilii verbis sobrium Ligorii judicium, & PRUDENTIA probetur.

101 Sub eadem imprudentiæ larva *addebat quidam ex Patribus*, uti diligens Animadversio refert §.22. quod *huc etiam pertinet intemperans illa libertas, quam Confessario indulget conformandi se contra propriam opinionem, quam probabiliorem putat, minus tutæ Sententiæ pœnitentis* = Hæc porro censura non Ligorium, sed omnes fere Theologos acerbissime pungit, Nova enim non est allata doctrina,

nec

(a) Th. Mor. Tract. 1. de Conscientia num.40.

nec multò minus *intemperans*, aut arbitratu suo a Ven. Alphonso conficta, sed accepta a *S. Antonino*, *a Dominico Soto*, *a Jo: Gerson. Suarez*, *Card. Toledo*, ab ipsis Probabilioristis *Pontasio*, *Cabasutio*, *& Victoria*, *a Navarro*, *Sylvio*, *Adriano*, *Sylvestro*, *Azorio*, *Holzmann*, *Roncaglia*, *Layman*, *Sayro*, aliisque fere innumeris, quarum singulas sententias, & verba religiosissime refert (*a*); quique omnes docent non solum posse, sed etiam teneri sub gravi Confessarium absolvere pœnitentem, qui vult sequi opinionem probabilem, licet opposita sibi probabilior videatur. Auctoritati ratio item accedit. Confessarius enim non est Judex opinionum, quas pænitens sequi teneatur, sed tantum dispositionis sui pœnitentis, qui dispositus censetur statim ac ejus opinio non sit evidenter falsa, sed probabilis, licet oppositam Confessarius privata sua sententia tutiorem existimet, & statim ac ipse Pænitens conscientiam de actionis honestate sibi efformavit. Hoc enim in casu, ut observat Cabassutius (*b*) *esto Confessarius agat contra propriam opinionem* NON TAMEN CONTRA PROPRIAM CONSCIENTIAM, *cum teneatur absolvere dispositum*. Secus vero plurima sequerentur absurda; *Alioquin*, verba sunt Ven. Ligorii (*c*) *si pœnitens esset* DOCTIOR CONFESSARIO, *& vellet sequi opinionem quam ipse non sine fundamento reputaret PROBABILIOREM, aut etiam CERTAM posset Confessarius denegare illi absolutionem, si teneret opinionem contrariam, quæ esset forte in se ERRONEA, sed hoc nullo modo videtur posse dici, cum dici nequeat, quod eo casu pænitens peccet sequendo opinionem suam; at si non peccat jam est dispositus, atque talis jus habet ad absolutionem*.

102 Neque hocce duntaxat absurdum satis aperte ostendit, non per Ligorii, aliorumque Theologorum sententiam, sed per oppositam *totam subverti Pœnitentialis Fori œconomiam*. Centeni enim alii qui occurrere quotidie possent eventus id in propatulo ponunt. Et sane, nonne pænitentialis Fori æconomiam subvertit cogere pœnitentem in re licita contra conscientiam agere? Imo vero si Confessario sit ille doctior, ad *erroneam* quoque opinionem amplectendam cogere? Nonne pænitentialis Fori æconomiam subvertit si quis, exempli gratia, symoniace pecunia accepta, ad duos Confessarios accedens, quorum alter Ecclesiæ, alter Pauperibus restituendam putet, acceptam pecuniam solvere *bis* deberet, Ecclesiæ scilicet, & Pauperibus, quia utriusque Confessarii judicio se conformare teneretur? Nonne pœnitentialis Fori œconomiam subvertit alter eventus, quem inter ceteros doctus Ligorius excogitat (*d*) *scilicet duo Confessarii habent duas opiniones contrarias, quarum cuique se apparet probabilior; si unus vellit alteri confiteri, deberet hic suam deponere opinionem captivando intellectum, ut Confessario suo judici constituto pareat. Contra vero, si alter postea huic confiteatur, deberet hic secundus Confessarius suam resumere opinionem*,

quæ

(*a*) Th. Moral. Tom. 1. Lib. 1. Tract. 1. de Conscientia num. 53. in Moral. System., & Lib. VI. Tract. 4. Cap. 2. de Sacr Pænit. num. 603. Edit. nona Bassani.

(*b*) Theor. Jur. lib. 3. cap. 13. num. 13.

(*c*) Cit. Lib. VI. Tract. 4. de Sac. Pœnit. num. 604. §. Ratio in fin.

(*d*) Cit. Lib. VI. de Sac. Pænit. cap. 2. dub. 5. num. 604. §. Adde.

quæ sibi probabilior apparet ; *tunc enim deberet judicare secundum suum proprium judicium* , *& deberet illum obligare* , *ut deponat opinionem* , *quam sibi prius sequendam imposuit* ; ET EN COMÆDIA RISU DIGNA , *quæ quotidie inter Confessarios eveniret* . *Quis putabit Christum Dominum ad hæc onera in Sacramento Pœnitentiæ Confessarios* , *& pœnitentes voluisse obligare* ? En libertas vere INTEMPERANS quam opposita Ligorio sententia Confessario indulget : En monstra ; en absurda, præter alia innumera , quæ ipse Ligorius ostendit . Verbo ; quemadmodum Sac. hæc Congregatio ad Canonizationis effectum tantam sibi non tribuit auctoritatem , ut Theologicas condemnet opiniones dummodo non sint contra Fidem , & bonos mores ; imo, quemadmodum nec Ecclesia , nec Tridentina Synodus eas condemnavit , sed inter ipsos Theologos disputandas reliquit ; ita nec Confessarius libertatem sibi sumere debet erigendi se in Judicem Theologicarum opinionum , dummodo evidenter falsæ non sint . Qua de re , ut Sacra Congregatio de Ligorii doctrina sapientissime pronunciavit : *Nihil esse censura dignum* , sic Confessarius Pœnitentem , qui probabilem opinionem tenet , tamquam dispositum debet absolvere .

103 Si ergo nec Sacra hæc Congregatio , nec Ecclesia theologicas quæstiones dirimit , diriment ne Censores Lucii Ferraris , qui *verb. Confessarius.*, uti Animadvers. o notat §. 22. se Ligorii sententiæ subscripsit ? Si hæc sententia Romano illi Censori non placuit , nihil omnino refert . Non enim *juxta ejus placitum* ex allata Benedicti XIV. doctrina Theologus a Sacra Congregatione ad examinanda Ligorii opera electus *sententiam suam*, nec ipsa Sacra Congregatio *Decretum* (ad cujus tuendam justitiam , gravitatem , sapientiam hactenus disserimus) accomodare debebant . Quo vero partium studium , quo ignotus ille Censor se abripi passus est , ejusque rationum inanitatem ictu , ut ajunt , oculi ostendam , hæc summatim animadverto . 1. Quod licet ipsius Censoris perpetua methodus ea sit , ut primum Lucii Ferraris integrum articulum referat , postea vero censuram suam ; huic tamen articulo contrariam auctoris doctrinæ *præmonitionem* præposuit , qua legentium animos præoccuparet ; & licet in novissima Romana editione idem Ferrarii Articulus IV. priori suo loco restitutus fuerit , Censor tamen in ipso articuli textu e vestigio sententiæ auctoris , ejus abrupta contra morem oratione , hæc verba intrusit = *vide tamen ad calcem hujus articuli præmonitionem Censoris Theologi* . Nec satis . Redargutus ille a docto Ferrario *falso* pro sua opinione retulisse sententiam ex *Confessionali S. Bonaventuræ* , quæ in eodem Confessionali , loco ab ipso allegato , non reperitur , tacuit , siluit , obmutuit , licet de hac ipsa re novam ediderit responsionem .

104 Sed ceteris prætermissis, illud unum partium studium aperte demonstrat , quod ille Censor , quo lectores in suam trahat opinionem Ferrarium confutare simulans in Ferrario hostem fingit , quem feriat , Ferrarium vero non ferit ; propositionem videlicet ipsi tribuit , quam ille ne somniavit quidem proferre . Ejus quippe propositio hæc est = (a) *Confessarius tenetur conformare se quoad judicium Sacramentale opinioni pœnitentis* , *si ejus opinio sit* VERE PRO-

(a) Verb. Confessarius Artic. IV. num. 1. exadv. cit.

PROBABILIS etiam contra propriam opinionem · Sanam hanc propositionem, quo Romanus Censor confutet, ad larvas confugit, eam ita adulterando = (a) *Opinio, quam num.1.* RECENSET, *atque inculcare videtur* AUCTOR, *Romanis Censoribus non placuit &c. Non dubitamus quin attendentes ad Confessarii munia statim intelligant falsam esse opinionem, quæ prædicat teneri Confessarium ad conformandum se voluntati Pœnitentis etiamsi hanc* MINUS PROBABILEM, *atque* HANC *speculative* FALSAM *existimet*. Bone Deus! Ubinam Ferrarius addidit *etiamsi Pœnitentis opinio fuerit speculative FALSA?* Nonne imo dixerat:*si ejus opinio sit vere* PROBABILIS? Quanam ergo fronte asseruit hanc esse opinionem, quam *num.1. recenset, atque inculcare videtur auctor*? Proh hominum fidem!

105 Sed tantisper fac Romanum Censorem genuinam Ferrarii sententiam confutasse quid ipse sentiat attendamus; Concludit enim in postrema sua responsone, quæ legitur in novissima Ferrarii editione, cum Wigandto posse Confessarium *deponere* opinionem suam oppositam illi pænitentis, si hic sit *ipso doctior*. Ex hac vero sententia concludere licet Romani Censoris opinionem nullam firmitatem habere, sed illam pendere *ex dubio* an doctior sit pæniteus vel Confessarius. Oh nutantem sententiam! Oh pendulam opinionem omni vel levi motu labefactandam! Quid, quæso, si idiota Confessarius in Censoris supposito præ sua ignorantia *probabilioritatem* sententiæ Pænitentis non agnoscat? Quid, si ipse, ut idiotarum mos est, pertinax suæ potius velit inhærere sententiæ, quam probabiliorem opinatur? Aut Pænitentem absolvere non debet, licet hic ex peracta confessione jus habeat ad absolutionem; vel si absolvat de infirmitate suæ opinionis minime suasus, juxta Romanum Censorem peccaret. En ergo alterum ex centenis absurdis, quæ ex opposita Ferrario, & Ligorio sententia sequuntur. En *Pœnitentialis Fori subversa perquam enormiter œconomia*.

106 *Nec minus imprudenter*, addebat etiam ille unus ex Patribus Animadv. cit. §.22., *Alphonsus combibit doctrinam illam, qui tradidit = peccata lethalia dubia non esse necessario in Confessione aperienda, Concilio Tridentino, & Catechismo Romano repugnantibus*. Si verbum illud *combibere* sibi vult *referre*, combibit; si vero communem, & propriam verborum significationem cum Lexicographis sequi velimus, non combibit relatam doctrinam Ligorius, sed eam æque, ac oppositam, uti doctum scriptorem decet, diligentissime retulit, ceu illius Theologiam *legenti* patet. Proposito enim dubio (loco exadv. cit.) *an teneantur confiteri mortalia positive dubia &c.* nempe *si utrinque adsint rationes probabiles, quod peccatum mortale, fuerit, vel non fuerit commissum*? Refert primam sententiam affirmativam Merbes:, Habert, Concina, aliorumque *Probabilioristarum*; inde oppositam Sanchez, Suarez, Sylvii, Anacleti, Roncaglia, aliorumque *Probabilistarum*. II. quærit *an teneamur confiteri mortalia negative dubia*? Ac oppositas inter sese opiniones de more referens scribit: *Prima sententia COMMUNIOR affirmat*: ac plurimos Auctores enumerat, eorumque rationes, ac præ-

(a) Loco cit. num.59. Edit. Rom.1785.

præsertim illam a *Concilio Tridentino* petitam, de qua ita scribit = *Si ergo ex Concilio confitendi sunt omnia mortalia, quorum conscientia habetur*; *etiam* SUNT CONFITENDA MORTALIA DUBIA; *quorum dubia habetur conscientia*; Ceteris autem rationibus hanc etiam addit = *Hæc videtur universalis, & inveterata praxis Fidelium, & ideo supponitur emanasse EX CHRISTI INSTITUTIONE, & per traditionem usque nunc fuisse observatam*. Qui hæc scribit contrariam combibisse opinionem dicendus est? Gressum vero faciens ad negativam Sententiam exponendam, graves qui eam tuentur Auctores refert, eorumque rationes; additque = *Licet prima sententia sit VALDE probabilis, & MAGNA AUCTORITATE roborata, hæc tamen secunda non videtur sua probabilitate destituta*. Qui certe primam *valde* probabilem, & *magna auctoritate* roboratam, secundam vero *non videri sua probabilitate* destitutam definit, illam potius quam hanc combibisse demonstrat. Sed illationibus opus non est ubi clara sunt verba. Sententiam enim suam Ligorius hisce claris verbis exponit. *Cæterum in praxi OMNINO SUADENDA EST pænitentibus CONFESSIO MORTALIUM tam negative, quam positive DUBIORUM, cum id ordinarie prosit ad conscientiæ tranquillitatem*.

107 Quæ vero eximiam Ligorii Prudentiam, ac vere singularem sapientiam ostendit, doctrina de impertienda consuetudinariis, recidivis, & occasionariis absolutione, si dispositi accedant *per signum extraordinarium doloris*, ea iterum in imprudentiæ censuram vertitur ab Animadversione *cit.* §.22. *de iis, quæ addebat quidam ex Patribus*.

108 Longa jam oratione sanam de hac re Ven. Alphonsi doctrinam exposui in superioribus Responsionibus a *pag.* 57. *in fin. ad* 61. §.16. *ad* 23. Quamquam itaque ibi jam hodiernam Animadversionem diluerim tamen actum iterum agere cogor. Principio illud certo tenendum Alexandrum VII., & Innocentium XI. præcepisse ne cito absolvantur consuetudinarii, & occasionarii, qui *non dispositi* accedant, qui scilicet nolunt consuetudinem, & occasionem deserere. Propositio siquidem 61. damnata ab Innocentio XI. hæc erat: *Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur*, QUAM POTEST, ET NON VULT OMITTERE, *quinimo* DIRECTE, ET EX PROPOSITO QUÆRIT, *aut ei se ingerit*. Alia vero 62. ab eodem Pontifice item damnata: *Proxima occasio peccandi NON EST FUGIENDA, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit*= Prop.63. *Licitum est* QUÆRERE DIRECTE OCCASIONEM PROXIMAM *pro bono spirituali, vel temporali* = Propositio tandem proscripta ab Alexandro VII. ita se habebat = *Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii* (*vulgo* regalo) *dum deficiente illa, nimis ægre ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & aliæ famulæ nimis difficile invenirentur*. Indicet profecto nobis doctus ille vir quo nam in loco Antistes Venerabilis docuerit hujusmodi consuetudinarios, & occasionarios, quos præfatæ Propositiones exibent, absolvi posse, ac tunc nobis objiciet Alexandri VII., & Innocentii XI. Constitutiones.

109 Hisce præhabitis illud certum est, Ligorium in hujusmodi tradenda doctrina tam longe abesse ab *imprudenti luxuriantium ingeniorum*

seque-

sequela, ut potius casum a casu, falsas opiniones a veris sapienti ratione discernens eximiam suam *Prudentiam* ostenderit.

110 Et sane cum de iis disserit (*a*), qui versantur in occasione *proxima voluntaria*, cum S. CAROLO BORROMÆO distinguens occasiones quæ *sunt in esse*, & eas, quæ *non sunt in esse* prudentissime docet *Pœnitentem neque PRIMA VICE absolvendum*, NISI PRIUS OCCASIONEM REMOVEAT, *& hanc sententiam censeo* OMNINO SEQUENDAM. Objiciens inde eventum, quod pœnitens habeat pro se opinionem probabilem, propterea que inquirens an debeat absolvi? respondit *Negative*, concluditque = *propterea bene potest, & si potest* TENETUR CONFESSARIUS, *ut partes sui muneris recte agat, tamquam Medicus differre illi ABSOLUTIONEM usque dum occasionem auferat. Etiamsi vero pœnitens afferat extraordinaria signa doloris*; tamen ipse subdit = *Nihilominus ait Roncaglia quod ipse etiam in hoc casu* ABSOLUTIONEM DIFFERRET *usque dum occasio auferatur &c.* ET ITA ETIAM EGO AGEREM.

111 De iis præterea loquens, qui sunt in occasione *proxima necessaria* hæc habet = *Ut ego quid sentiam in hac re ingenue dicam*, NUMQUAM ABSOLVEREM *qui est in occasione proxima extrinseca, & etiam huic* ADHUC EXTRAORDINARIA COMPUNCTIONE DONATO, *ordinarie loquendo*, ABSOLUTIONEM DENEGAREM *quando commode absolutio posset differri. Fortasse alicui hæc tradens NIMIS RIGIDUS videbor, sed Ego cum pœnitentes offendissem hujusmodi occasionum laqueis irretitos*, SIC SEMPER EGI, ET SEMPER AGAM. *Hac enim via incedens non me rigidum, sed maxime erga eos benignum esse puto, quandoquidem NULLO ISTO APTIOR MODUS mihi videtur, ut ipsi a peccatis, & ab æterna damnatione eripiantur; & e contrario crederem, quod si benigne agendo absolutionem, quam petunt, eis præstarem causa essem ut misere in vitiis marcescerent. Quisque in suo sensu abundet. UTINAM vero OMNES CONFESSARII cum hujusmodi Pœnitentibus ITA SE GERERENT, multo quidem minora crimina committerentur &c.* Nonnisi ergo per summam injuriam, ac nonnisi his a Ligorii Morali deletis, eum de *imprudenti luxuriantium ingeniorum sequela* poterit quis accusare.

112 *De Recidivis*, de iis scilicet, qui post Confessionem in eadem peccata relabuntur, *prudenti* sagacique consilio sententiam illorum rejicit, qui affirmant *toties quoties* absolvendos; nimis vero austeram autumnat aliorum opinionem, qui ajunt *numquam* absolvendos, nisi *per longam experientiam* de illorum emendatione constet. Advertit enim, non unam moram sed animæ correctionem esse attendendam cum S. Hieronymo in *cap. septies* 23. *distin.*3., nec non cum S. Jo. Chrisost., qui *Hom.*14. *in* 2. *ad Cor.* scribit = *Temporis moram non quæro, sed animæ correctionem; hoc itaque fac demonstres, SINT NE COMPUNCTI*. Hinc Auctor libri Romæ editi cui tit. = *Istruzione per li novelli Confessori*, quem Bened. XIV. testatur fuisse *satis peritum, & in administratione Sacramenti Pœnitentiæ APPRIME VERSATUM* (*b*), inquit *part.*1. *cap.* 15. *numer.*356. quod = *Se la ricaduta nasca dalla propria fragilità senza*

 altra

(*a*) Moral. lib. VI. Tract. IV. de Sac. Pœnit. exadv. cit. a num. 454. ad 464.

(*b*) De Synod. Diœc. lib. XI. cap. 2. n. XVII.

altra causa estrinseca volontaria è quasi TEMERITA' il dire, che per ogni ricaduta sia indisposto. Ergo non Ligorius, sed Hieronymus, sed Chrisostomus, aliique in Sacramenti Pœnitentiæ administratione apprime versati affirmant, non *temporis moram* **in** recidivis, sed *compunctionem* attendendam. Sunt ne hæc luxuriantia ingenia quæ Ligorius sequitur? vide ne in absurdum incidas.

113 Prudenti ergo ratione Ligorius a tantis Doctoribus monitus ad inquirenda *compunctionis* signa sese convertit (*a*). Inter hæc vero ne ullum quidem invenies suo arbitratu fictum, sed singula a gravissimis Doctoribus allata. Unde ipse merito scribit = *Hæc autem signa dispositionis recidivorum Auctores præfati NON CASU tradiderunt, sed experientia docti. Unde puto nequaquam errare eum, qui se dirigit cum* SENTENTIIS COMMUNITER RECEPTIS *ab hujusmodi DD. NON HUMILIS NOTÆ . . . non debet credi hos tam GRAVES DOCTORES a Deo lumine suo fuisse destitutos in re quæ directionem respicit conscientiarum totius Populi Christiani*. Quid hæc, nisi eximiam Prudentiam redolent?

114 Suam inde sententiam exponens V. Ligorius docet = I. *quod Confessarius tenetur differre absolutionem usque dum fiat moraliter certus de DISPOSITIONE sui Pœnitentis*. Docet II. *Certum esse, & commune apud omnes quod possit Confessarius* DIFFERRE ABSOLUTIONEM *pœnitenti* ETIAM DISPOSITO, *& etiam sine ejus consensu semper ac prudenter judicet* DILATIONEM ESSE UTILEM *ejus emendationi*. Prudenter item secernit relapsum ob fragilitatem, seu causam intrinsecam, puta odii, pollutionis, delectationis morosæ, & similium, a prolapsu ex occasione *extrinseca*, ut est concubina, famula cum qua peccatur, aliaque externa hujusmodi occasio. In primo casu authumat cum gravissimis Doctoribus *raro differendam absolutionem, & si expediat, non differendam plusquam ad octo, vel decem dies*. In secundo vero casu relapsus ex *occasione extrinseca* docet *absolutionem* OMNINO DIFFERENDAM ESSE USQUE DUM TOLLATUR OCCASIO *si sit voluntaria ; si vero necessaria, donec periculum recidendi ex proximo fiat remotum* = Prudentis autem hujusce distinctionis rationem ex eo potissimum repetit (*num*.464. *exadv. cit.*) quod in occasione intrinseca *cum pravus habitus sit quid intrinsecum, & INSEPARABILE A PERSONA, extirpatio habitus minus, quam remotio occasionis, pendet a propria voluntate ; & ideo magis sperandum quod Deus bonam voluntatem per majora auxilia adjuvabit ad perseverandum*. De iis autem qui sunt in occasione extrinseca aperte docet : quod IMPRUDENTER *agit Confessarius si ABSOLVIT eum, qui est in occasione extrinseca saltem antequam experiatur quod ille per fugam reddat periculum remotum. Nam alias eum relinquit in probabili periculo infringendi propositum eo quod talis pœnitens post obtentum absolutionem facile negliget fugam necessario adhibendam, & & sic sine dubio relabetur*. E contra vero ad emendationem assequendam in occasionibus extrinsecis ideo raro differendam absolutionem docuit, quia *S.Thomas*, Card.*Toletus*, la *Croix*, aliique gravissimi DD., quorum sententias refert, uno ore affirmant hoc Sacramentum maximum esse frænum ad rebelles passiones, quæ intrinsecæ in nobis

(*a*) Præt. Resp. pag.49. §.119.

bis sunt, edomandas; *Hocque remedio* (concludit Ligorius) *frequentis Confessionis pro recidentibus in tali vitio legimus* D. PHILIPPUM NERIUM (*in sua vita cap. 6. num.1.*) MAXIME USUM *fuisse*. *Et huic doctrinæ alludit id, quod habetur in* Rituali Romano *de Sacr. Pœnit. ubi* = In peccata facile recidentibus utilissimum „ fuerit consulere, ut sæpe confiteantur, & si expediat communicent „ *Ergo Rituale dum dicit remedium frequentis Confessionis* UTILISSIMUM *esse facile* RECIDENTIBUS *in peccata, supponit pravum habitum ab eis non adhuc esse avulsum*; *sed hoc non obstante docet gratiam Sacramenti multum conferre ad emendationem*. Luxuriantia ne ingenia sequitur qui *differendam* docet absolutionem recidivis ex occasione extrinseca *donec tollatur occasio*, et si ea sit necessaria, *donec periculum ex proximo fiat remotum*? Luxuriantia ne ingenia sequitur qui recidivis ex occasione intrinseca Sacramentalis absolutionis gratiam remedium esse ad frænandas passiones docet, quia id *Rituale*, *S.Thomas*, la *Croix*, aliique DD., & *S. Philippus Nerius* docuere? Si qui hos Magistros sequitur, luxuriantia ingenia sequitur, libenter causa cado.

115 Quid vero quod *imprudens* ipse fuisset, ni sapienter discernens recidivos ex occasione extrinseca ab aliis ex occasione intrinseca illis absolutionem differendam, his concedendam docuisset? Diuturna enim quadraginta annorum experientia, (quot quot sacris expeditionibus vacavit) didicerat quanta nam absurda ex rigidissima illa, minusque canta praxi dimanant, qua nonnulli recidivos omnes nulla facta distinctione absque Sacramentalis absolutionis gratia dimittunt; quemadmodum ipse Confessarios illos alloquens, qui hac regula generali utuntur, scribit = *num.464. exadv. cit. in fin.* ibi = *Has magistros meos rogarem numquid recidivi cum sine absolutione dimittuntur gratia Sacramenti carentes omnes validiores fiunt*, & *emendantur? Quot miseros* IPSE COGNOVI, QUI OB DENEGATAM ABSOLUTIONEM SE DEJECERUNT IN DESPERATIONEM, & *per plures annos a Sacramentis aversi abherrarunt*! Qui profecto hanc viam tot periculis obnoxiam, aliam vero a Sanctis calcatam, tot suavissimis conversionum fructibus plenam, planamque fuerat expertus, nonne *in prudentissimus* fuisset si plana, & tuta relicta, asperam, imperviam, scopulisque refertam elegisset?

116 Sed ex ipsa etiam Ligorii conclusione eximiam Ejus *Prudentiam* agnosce. Ita enim ipse concludit eodem *num.464.* exadv. cit. in fin. *Unusquisque in hoc puncto impertiendæ, vel differendæ absolutionis dirigere se debet juxta lumen a Deo sibi datum*: Et in Praxi Confess. *ad calcem Th. Moral. §.IV. num.76.* scribit = *Quidam volunt melius esse quod hujusmodi Recidivis differatur absolutio*; *alii tamen* COMMUNIUS *censent id* RARO EXPEDIRE, & *hoc etiam* SENTIT *celebris nostrorum temporum Missionarius R.P.* (nunc Beatus) LEONARDUS DE PORTU MAURITIO *in suo docto Sermone Romæ edito, cui tit.* Discorso Mistico, e Morale. MELIUS *nihilominus* DICENDUM, *quod in hoc puncto* NEQUIT CERTA STATUI REGULA, *sed Confessarius juxta occurrentes circumstantias gerere se debet, Deo se commendet, & secundum se sentit inspiratum sic faciat*. Ergo ne qui in hacce definienda quæstione ipso B. Leonardo *severior est*, vix *defendi potest ab imprudenti luxuriantium ingenio-*

niorum sequela? Ecquænam erunt pia , sobria , sancta ingenia?

117 Quo tandem aliquando de Ligorii doctrinæ Prudentia finem dicendi faciam, Amplissimis Judicibus animadvertendum propono illam ipsam Ligorii doctrinam, cui *quidam ex Patribus* notam imprudentiæ inusserunt, illam ipsam doctum Pontificem Benedictum XIV. *PRUDENTEM* declarasse, illum inquam Pontificem, cujus nomen sapientia immortalitati consecravit, & cujus verba sacro in hoc Foro totidem veluti oracula reveremur. Vix enim Moralis Ligorii Theologia primam lucem aspexerat anno 1748. doctus ille Pontifex in suo celeberrimo opere de *Synodo Diocœsana* disserens de quæstione, an absolvendus sit Clericus *recidivus*, & *consuetudinarius* ad Sacros Ordines promovendus, non modo Ligorii sententiam maximi præceteris fecit, & ad enodandam quæstionem attulit (quod æternam illi laudem comparavit) sed eum item *prudentem* appellavit *loco cit. lib.XI. cap.2. num.17.* ibi: *Interim tamen PRUDENS Auctor &c.* Quid plura?

118 Ex iis vero, quæ hactenus disseruimus, vindicatur non modo Prudentia doctrinæ quam Ligorius in sua Morali tradidit, sed eximia item sapientia Sacri hujusce Consessus qui in Ligorii Doctrina NIHIL ESSE CENSURA DIGNUM jam declaraverat, ac Summi Pontificis Optimi Maximi Justitia, qui Decreto illi tanta judicii maturitate lato Apostolicæ firmitatis robur adjecit.

119 Neque ad prætensam doctrinæ imprudentiam evincendam *practicam* imprudentiam accuses ex V. Viri Confessarii verbis, qui ab ipso didicisse ait, *che non si ricordava di aver licenziato qualche Penitente senza il beneficio della santa assoluzione* (Animad. §.23.). Primo enim constat non dixisse Dei Famulum quod neminem absque absolutionem dimiserit, sed quod *non si ricordava*: . Qui vero dicit non reminisci non excludit possibilitatem eventus, quin ejus reminiscatur. Præterea qui dicit non reminisci dimisisse aliquem absque absolutionis beneficio, non dicit *statim*, *ac prima vice* accedenti absolutionem fuisse impertitam; Aliud enim est dimittere pænitentes inabsolutos, aliud absolutionem ad dies suspendere, atque differre. Nam ut bene ipse Ligorius ponderat (a). *Pœnitens quamvis habeat jus ad absolutionem ratione Confessionis peractæ, non tamen habet jus, ut STATIM absolvatur*. De Missionariis ergo qui non per dies, sed per menses in Oppidis commorantur, optime dici potest, quod inabsolutos non dimiserint pænitentes, quibus antequam loco discederent dilatam antea absolutionem fuerint tandem imperti- ti. Multo vero minus ad arcendam a Ven. Viro imprudentiæ practicæ notam invenire oportet qui *tam plumbeus sit, ut combibat in tanto temporis decursu, in tanto, ac pœne infinito pœnitentium numero nullum umquam ad Dei Servum accessisse consuetudinarium, recidivum, occasionarium*, ceu solers Animadversio monet. Nos certe tam plumbei non sumus, quippe aperte fassi sumus *id esse impossibile* (b). Quin imo ab ipso Ligorii ore didicimus recidivos, & occasionarios ex occasione proxima extrinseca etiam necessaria ad se accessisse, eisque licet *extraordinaria compunctione* donatis absolutionem denegasse: ita enim ipse rotunde scribit (c). *Ingenue dicam*

(a) Moral. lib.6. tract.4. Cap.1. Dub. 2. num.462.

(b) Præt. Resp. pag.60. §.121.

(c) Loco sæpe cit. num.456.

cam NUNQUAM ABSOLVEREM *qui est in occasione proxima extrinseca &c. & etiam huic* ADHUC EXTRAORDINARIA COMPUNCTIONE *donato ordinarie loquendo* ABSOLUTIONEM DENEGAREM &c. *Fortasse alicui hæc tradens nimius rigidus videbor, SED EGO cum Pœnitentes OFFENDISSEM* (nota *Offendissem*) *hujusmodi occasionum laqueis irretitos SIC SEMPER EGI, & semper agam*. Quid hisce verbis luculentius? Quid dissertius? Quid clarius? Practicam ergo Ligorii Prudentiam non a subobscuris Confessarii verbis, sed ab ipsa accipe Ligorii confessione coram universo orbe typis emissa; cui fidem non adjungere *absonum esset, & maximum piaculi genus*; ceu monet Bened. XIV. *lib.3. cap.30. num.12., & prius §.24. num.16.*

120 Apertissimum hocce V. Ligorii testimonium vel ipsa etiam objecta Confessarii verba apprime confirmant; Ex iis namque luculentissime evincitur nunquam ipsum absolutionem fuisse impertitum contra mentem Constitutionum Alexandri VII., & Innocentii XI. scilicet iis, qui in *occasione proxima* constituti, *eam licet possent dimittere nolebant, quin imo directe, & ex proposito ei se ingerebant*, vel iis in quibus *nulla spes apparebat emendationis*, uti sonant propositiones ab iis Pontificibus proscriptæ, imo contrarium probant. Probant enim ipsum ex speciali dono compungendi peccatores sibi uni a Deo collato eos ad veram pœnitentiam convertere valuisse, ac nonnisi vere, sincereque pænitentibus, jamque conversis, absolutionem fuisse impertitum; id profecto patet ex ipso *contextu*, quem cl. Animadversor præ sua honestate integrum exhibet §.23. ibi = *Penetrava il più duro de Cuori, e li faceva disciogliere in lagrime di* VERA COMPUNZIONE, *per cui chiunque andava da lui a confessarsi per ostinato, e duro che fosse stato si doveva ONNINAMENTE COMPUNGERE, ed anzi Egli stesso mi disse più volte* (quod Testis affert in conversionum probationem) *che non si ricordava di aver licenziato qualche Penitente senza il beneficio della S. Assoluzione Sagramentale, e tale e tanto, che QUESTE CONVERSIONI, che Egli faceva animato dallo spirito di Dio non solo furono* SEMPRE SINCERE, *ma eziandio* STABILI, E PERMANENTI. Si conversiones characterem habebant *di vera compunzione* = si *queste conversioni* erant, *non solo sempre sincere, ma eziandio stabili, e permanenti*, non nisi imprudenter, & contra ipsam Sacramenti institutionem inabsolutos pænitentes, dimittere potuisset, juxta allatum Chrysostomi monitum = *hoc fac demonstres sint ne compuncti*. Qua de re Testis ad ipsas probandas conversiones ab eo accepisse refert non habuisse opus, ut pænitentes utpote *dispositos*, inabsolutos dimitteret. Versabatur enim in casu e diametro opposito Constitutionibus Innocentii XI., & Alexandri VII. quæ damnatis propositionibus, quas supra retulimus, illud dumtaxat cavent, ne absolvantur alii, quam vere, sincereque pænitentes. Ac re quidem vera Confessarios Ligorius redarguebat, non quod pænitentes inabsolutos dimitterent, *sed* quod eos ad absolutionem disponere, & ad pænitentiam convertere non valerent, proindeque cogerentur eos inabsolutos dimittere, ceu ipse Confessarius pergit in contextu apud Animad. cit. §.23. = *Sgridava perciò sempre quei Confessori, che* NON SAPEVANO ACCOGLIERE, E COMPUNGERE I PECCATORI; *onde erano costretti* (juxta Pontificum Constitutiones) *a*

man-

mandarli indietro senza la grazia di Gesù Cristo colla Sagramentale assoluzione .

121 Miræ profecto sunt, quæ in Actis passim occurrunt, Peccatorum conversiones per cæleste charisma compungendi corda sibi collatum a Ligorio peractæ, Non enim unæ ipsius hortationes in Pœnitentiali Foro peccatoribus traditæ, sed vel ipse ejus concionantis intuitus, quin vox audiretur, vel ipse cantus, vel ipse denique fervor quo de Christi cruciatibus, deque illius Matris amore disserebat, duriores quosque Peccatores ad compunctionem convertebat. Videres profecto homines ad ejus concionantis vocem pellices a se procul amandare obfirmatoque animo derelinquere, antequam ad ejus sè pedes abjicerent: Videres milites a prava consuetudine revocatos sociorum conversionis auctores factos; videres prostitutas mulieres, immutatis animis, perseverantes in pænitentia Margaritæ Corthonensis æmulas effectas. Videres per *Mariæ* prodigia, ejus ope a suo amanti Famulo ferventer invocata, Civitatum, Oppidorum, Populorum faciem immutatam; (a) itaut jure concludere possis occasionarios, recidivos, consuetudinarios jam ab Alphonso conversos, jamque fugata occasione, relicta consuetudine, pravoque habitu, ad Alphonsum accessisse, ab eoque privatim in proposito roboratos, divino numine in suscepta conversione perseverasse, proptereaque de illo fuisse impletum quod = *cum Leonibus lusit quasi cum Agnis* Eccl.44.

122 Antequam hunc locum deserat ornatissimus Censor ubi de V. Ligorii doctrina actum est, nos monet §.25. & seq. *quosdam ex Patribus opportunissimum, ac plane necessarium duxisse, ut retractationes quas non semel V. Ligorius doctrinarum ab se traditarum edidit ea, quæ SANCTISSIMUM VIRUM decebat, docilitate, atque humilitate, in unum omnes colligantur, atque ita collectæ seorsim ab ejus opere de Theologia Morali publici juris fiant*. Sed cur, & quorsum? *Quia verendum profecto est, ne ii, qui primis Editionibus potiuntur, videntes AlphonsumAltarium honoribus auctum putent cum Auctore suo probatas, confirmatasque ab Apostolica Sede illas etiam sententias, quas Alphonsus ipse, vel retractavit, vel reformavit*,

123 Nemo certe id vereri potuisset, qui animadvertisset nos ipsos, quibus causas caste dicentibus Sacræ hujus Congregationis decus, ejusque mandatis obedientia maxime cordi est, nos, inquam, ipsos hanc formidinem præcavisse, eoque ipso modo præcavisse, quo Sacra hæc Congregatio Decreto suo *diei* 1. *Octobris* 1661, cavendum esse mandavit, uti refert Benedictus XIV, *lib*.2. *cap*.27, *num*.13. ibi = *Si plures sint unius Operis Editiones, quarum una aliquando ab ALIA DIFFERAT, recte STATUTUM FUIT, ut non omittatur, aut nomen Excusoris, aut locus impressionis, ut hoc ipso semper in comperto sit QUÆNAM SIT EDITIO, QUÆ FUIT REVISA*, Huic porro mandato tam cumulate satisfecimus, ut non modo *aut* Excussoris nomen, *aut* locum impressionis Theologiæ Moralis V. Ligorii a S.Congregatione adprobatæ, sed & Editionis numerum, & impressoris nomen, & locum quo prostat, & annum impressionis, imo

(a) Sum. loc. cit. in prævia Informat. pag.65, §.231, & seq. pag.92. ad 95. a §.318, ad 326.

Imo & ipsum *Elenchum Propositionum Retractatarum* in adprobationis Decreto inseri, edique curavimus, ceu legere est in *Catalogo I.* Oper. impress. in *cit. Decreto* ibi = *Theologia Moralis V. S. D. Editio nona Bassani* 1785. *Prostat Venetiis apud Remondini in tres Tomos distributa, in cujus Tomo Tertio post Tractatum de Censuris sequuntur I. ELENCHUS aliquot quæstionum A V. AUCTORE RETRACTATARUM &c.* Magis ne graphice juxta ipsam S.Congregationis mentem describi poterat *Editio* a S. Congregatione revisa ?

124 Quamquam vero nostro muneri cumulate satisfecerimus, ac S.Congregationis, Sanctæque Sedis decori abunde jam prospexerimus, eaque ratione prospexerimus, quam ipsa exequendam jubet, religiosissimus tamen Causæ Postulator comodo potius eorum, qui primis Editionibus potiuntur, quam Causæ necessitati consulens separatam Elenchi ipsius Editionem juxta Animadversionis vota fieri curavit, quæ jam prostat apud *Lazarinium* R. C. A. Typographum.

DE RELIQUIS ASSERTIS OBSTACULIS

125 Si quæ longa, ac speciali oratione diligentissimus Censor hactenus obstacula opposuit, vel nullius momenti, vel totidem Virtutum actus demonstravimus; quanti nam facienda sint illa de quibus dicturi sumus, ex eo quis facile assequitur, qui eadem in acervum, nullius veluti ponderis, conglobata fuisse animadvertat. Ea vero sunt hujusmodi.

126 *Primo lapsus est*, verba sunt Animadversionis §. 27. V. Vir, *cum præcipiti judicio in exilium egit Religiosum virum*. Non præcipiti judicio, sed falsa informatione deceptum eum in exilium egisse in anteactis vindiciis validis rationum momentis probavimus (*a*). Quamquam enim in heroicæ Viri humilitatis, & Justitiæ commendationem retulissemus Religiosum non modo ab exilio sacrum Antistitem revocasse, verum etiam ab ipso ei veniam petiisse, qua de re is *assai e lificato lo andò per tutto decantando per un Vescovo SANTO*; tamen non hoc uno dumtaxat nomine eum a censura purgavimus, sed potissimum ob deceptionem, cui vel ipsi Sancti obnoxii sunt. Cur nam vero modo hæc ipsa deceptio in *causa voluntaria* fuisse opponitur ? Si enim in id maxime V. Antistes incumbuerat, ut qui erant ab ipso per universam Diæcesim in pastotalis sollicitudinis partes adsciti, tamquam morum speculatores suique Vicarii, essent *persone probe, scienziate, in dignità costituite*, LIBERE DA UMANE PASSIONI, IMPARZIALI, *caritative a tenore dell' ESPERIENZA, che di tali persone EGLI esattamente* AVEVA FATTA (*b*); si revera in hoc ipso eventu V. Antistes deceptus fuit *con falsi rapporti di gente, che apparivano persone da bene* (*c*), quonam

(*a*) Præt. Resp. pag. 86. & seq. a §. 173. ad 180.

(*b*) Præt. Resp. pag. 86. §. 173.

(*c*) Sum. Object. pag. 6. §. 1.

nam pacto concludere licet deceptionem in causa voluntaria fuisse? Opposita imo illatio sequitur eum, qui deceptionis causam, ex improbis hominibus oriri solitam, omnimode a se procul arcere sategerat, *absque ulla voluntaria causa* fuisse deceptum. Secus enim voluntarie decepti dicendi forent qui decipiuntur ab iis, qui *omnem extrinsecus sanctitatis speciem præseferunt*, contra ac docet cum *S.Gregorio*, & *Baronio* Benedictus XIV. *lib.*3. *cap.*33. *num.*18., qui antea scripserat *lib.*2. *cap.*41. *num.*13., quod S. BERNARDUS *fuit deceptus falsa insinuatione eorum quorum existimatio apud eum non erat fidei dubiæ: quare ipse in suis epistolis scribere non dubitavit se* INTERDUM FUISSE DECEPTUM *falsa relatione Potentium*.

127 Unde nam vero constat Sanctum Antistitem *delationem sine prævio examine* admisisse? Verbulum namque illud, quo alter ex Testibus utitur (*a*) *al primo informo* = non delationem, vel accusationem, sed *informationem* importat, uti per se patet; & legitur item *in Proc. Apost. Nuc. fol.*3041. ubi de alio diverso eventu verbum: *informo*: non modo ad informationem, sed ad ipsam significandam *Curiæ inquisitionem* alius Testis usurpatur = *ordinò al Vicario, che ne avesse preso l'informo, e ne fosse seguito l'arresto*. Non ergo Religiosum ad delationem, sed post acceptam informationem exulavit, neque antea exulavit, nisi postquam fuit CERTIFICATO, quod Religiosus ille *frequentava di trattare con Monache di un Monastero* (*b*). Neque dicas in causa voluntaria deceptionem fuisse quia ad primam informationem eum exulaverit. Quot enim informationes in unaquaque re excipi ab Episcopis debent? Nonne post primam informationem Urbis Tribunalia æconomice negocia decernunt, rescripta dant, sententiam dicunt? Nec tamen quis illis injustitiæ crimen opponere jure potest, si decipiantur; multoque minus asserere deceptionem in causa voluntaria fuisse; uti ad rem observat Benedictus XIV. *lib.*3. *cap.*30. *num.*18, ibi = *Nec tamen ullum ex his injustitiæ crimen iis, qui Decreta fecerunt rationabiliter opponi potest. Romanæ Urbis Tribunalia, Summorum Pontificum consiliarii, ipsi Summi Pontifices magnam utique adhibent diligentiam, ut ex veritate, & justitia procedant: resque ut plurimum Deo dante ex voto recte cedit, sed Deo ipso permittente contingere potest, & sane aliquando* CONTINGIT, *ut prævalente hominum malitia*, JUSTITIA *coram ipsis* OBRUATUR. Etiam si vero hæc sententia, sive, ut mavis, lacinia suo loco, a quo mota est, restituatur, pronunciata tamen legitur non modo de Religioso Viro ab una Diœcesi exulato, sed de Religioso Sancto, ac Religiosæ familiæ Fundatore *S.Josepho Calasantio* nulla sua culpa, *sed ex falsis, licet probabilibus Testium accusationibus* ad Tribunal SS. Inquisitionis publice traducto, Præsidis Generalis munere privato, suique Instituti fere subversi immutationis pæna punito. Concludendum itaque quod licet Religiosum in nostra facti specie *sine sua culpa* a Diœcesi exulatum concederemus, constat tamen Ligorium *juste* in eum processisse, uti reapse concludit idem sapientissimus Pontifex *loco cit.* ibi = *Po-*

(*a*) Sum. Obj. pag.6. §.1.

(*b*) Cit. Sum. Obj. p.6. §.1.

Positis circumstantiis hæc duo inter se cohærere possunt, ut aliquis sine sua culpa reprehendatur, & alius JUSTE reprehendat; ita etiam positis circumstantiis hæc alia duo poterunt cohærere, ut includatur quis sine sua culpa carceribus, & condemnatur, & hoc Judex SINE INJUSTITIA decernat,

128 *Aliquem adhuc angebat*, objicere pergit Animadversio cit. §.27., *Dei Servum panem Eucharisticum homini ad comunionem accedenti primum publice negasse; mox vero accepto ab eo responso de peracta confessione illico administrasse*. Ecquis adhuc anxius hoc nomine hærebit postquam, seclusa etiam peculiari mentis illustratione, fuse jam solideque *in præteritis Responsionibus* (*a*) utrumque composuimus? Nec enim injusta fuit Eucharistiæ denegatio, sed a *Rituali* præcepta. Ipsa enim Animadversio docuerat *publicos* peccatores a Sacra Mensa ex Ritualis lege esse arcendos, publicosque illos censendos, qui tales æstimantur *notorietate facti* (*b*) Qui vero Ligorio sisterat vir erat uxoratus, qui habebat *scandalosa* PUBLICA *prattica con una Donna maritata*. Ergo crimen non una constabat *notorietate facti*, notitia scilicet majoris partis *viciniæ*, sed, uti publicum, notum erat *scientia totius Populi*, quemadmodum in anteacta Caussæ actione cum Fagnano demonstravimus (*c*). Jure ergo, & non injuria ei Sacer Antistes Eucharisticum panem denegavit. Jure vero ei ministravit postquam publico scandalo publice satisfecit; utpote qui coram universo Populo in Sacratissimo Cœnæ Domini die publicam protestationem emiserat = *di aver lasciata la prattica sudetta, e di essersi confessato* =. Post tam solemnem, publicamque satisfactionem tenebatur Episcopus Eucharistiam ei ministrare, seclusa etiam quavis peculiari mentis illustratione, juxta S.Caroli Borromæi monitum opportune Nobis ab ipsa Animadversione objectum (*d*) *neminem peccatis publicis irretitum ad Comunionem recipiat NISI PRIUS scandalo publico satisfecerit*,

129 Ex hoc vero ipso S. Caroli monito apprime patet haud *præpropere* homini Eucharistiam ministrasse Ligorium. Verificata etenim conditione a sanctissimo Cardinali apposita de publica scandali satisfactione per verbum: *nisi PRIUS* ; erat administranda Eucharistia; juxta naturam dictionis = *nisi prius* = quæ unam includit conditionem, non vero temporis dilationem; imo significat *immediatam continuationem actus* cum adverbio *postea*, quocumque rejecto medio, & intervallo, ceu tradit Rota *in rec. part.* 3. *num.* 3. *part.* 6. *dec.* 252. *num.* 2. *& part.* 8. *dec.* 20. *num.* 20. *cor. Verospio &c.*; Neque vero huc spectat illud Apostoli monitum, *quod prius probandus est homo*, Haud porro V. Antistes in Pœnitentiali Fore versabatur; proindeque de una scandali satisfactione sollicitus esse debebat, Ea autem obtenta per publicam protestationem *di aver lasciata la prattica, e di essersi confessato*, Eucharistiam denegare nequibat. Nam Apostoli monitum non ad V. Antistitem ministrantem, sed ad S. Eucharistiam sumentem omnino spectat; utpote qui moneat *pro-*

(*a*) Præt. Resp. pag.73. & seq. a §.143. ad 146.

(*b*) Præt. Animad. §.39.

(*c*) Præt. Resp. pag. cit. 73. §.144.

(*d*) Præt. Animad. cit. §.39.

bet autem SE IPSUM *homo*, *& sic de pane illo edat* 1. ad Cor. 28. ubi ad rem explicat S. Jo. Chrisost. *Hom.*28. *in Epist.* 1. *ad Cor.* 28. ibi = *Ideo ait: Probet autem se ipsum unusquisque*, *& tunc accedat*. NEC PRÆCIPIT, UT ALTER ALTERUM PROBET, *sed ut unusquisque* SE IPSUM, *judicium statuens*; *quod* NON SIT PUBLICUM, *& probationem sine Testibus*. Hanc item probationem sitam esse in propria excutienda, expiandaque conscientia a Cathechismo Romano edocemur (*a*) ubi legimus = CONSCIENTIAM NOSTRAM *scrutari diligenter debemus*, *ne forte exitiali aliquo peccato contaminati simus*, *cujus pœnitere necesse sit*, *ut prius contritionis*, *& confessionis medicamento illud eluatur*. Et S. Augustinus Serm. 253. de *Temp.* ibi = *Unusquisque consideret* CONSCIENTIAM SUAM . . . *& sic Eucharistiam præsumat accipere*. Per ea denique Apostoli verba *Probet autem &c.* unam intelligi sacramentalem *Confessionem* erudite, solideque probat contra Calvinianos Franc. Antonius Zaccaria *Biblioth.Rit.Tom.*2. *disput.*3. *quæst.*2. §. 3. In nostro autem eventu Vir ille Sacro Antistiti clare patefecit *di essersi confessato*. Ergo præter exactam jam publici scandali satisfactionem nulla ei amplius probatio tentanda supererat.

130 Ad præclarissimum inde charisma se animadversio convertens §.28. quo per mirabilem ecstasem eduxit Ligorium Dominus in spiritu, ut extrema præstaret officia morienti Pontifici Clementi XIV. hocce nos dialemmate urget = *aut id ad somnium*, *ac delirium pertinet*, *aut ad charismatis ostentationem vanamque gloriolam*, propterea quod *circumstantibus dixit se interea temporis Clementi XIV. morienti adstitisse*. Neutrum. Non enim fuisse somnium, non fuisse delirium ex singulis circumstantiis fusius jam, quam necessitas tulerit, probatum legitur in præteritis Responsionibus *pag.* 123. *& seqq. a* §.255. *ad* 266. = Et sane si biduanam hanc Ligorii ecstasim somnium, ac delirium appellare quis velit, oportet, ut tali item nomine donet aliorum Sanctorum ecstases hacce multo diuturniores. Nam, ut alios prætercam, S. Clara Assisinas ab Epiphania ad alios sequentes *dies triginta* extatica mansit (*b*) S. Petrus de Alcantara (*c*) S. Maria Magdalena de Pactiis (*d*), & S. Franciscus (*e*) *per octo continuos dies*. Quis horum ecstases somnia, aut deliria appellabit? Quo vero ad Ligorii ecstasim redeam, ceteris prætermissis circumstantiis, illam iterum commemorabo eodemmet argumento hujusce charismatis veritatem patere quo Evangelista Joannes Reguli Christi potentiam agnovisse narrat in sanatione sui filii, utpote qui, occurrentibus sibi Servis, *interrogavit horam ab eis*, *in qua melius habuerat* . . . *Cognovit ergo Pater quia* ILLA HORA ERAT, *in qua dixit ei Jesus*, *quod filius ejus viveret*, *& credidit ipse*, *& Domus ejus tota* = Jo. 4.52. = Ita profecto in nostra facti specie evenisse legimus. Nam mane diei 22. *Septembris* 1774. postquam V. Antistes ecstaticus semimortuo corpore per duos dies jacuerat = *all' improviso verso tardi toccando il campanello accorsero taluni de' Familiari il Servo di Dio vedendoli sbigottiti*, che cosa è *gli disse*; *E quelli* che

(*a*) De Sacram. Euch. §.57.
(*b*) Henricus Arpius *lib.* 2. *Theol. Mystic. par.*3.*cap.*37.
(*c*) In ejus Vita *lib.*3.*cap.*19.
(*d*) Ex P. Lezana in Vita S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis *cap.* 35.
(*e*) Card. Baronius in Hist. Vitæ S. Francisci *cap.*132. *& cap.* 223. & seq.

che ci vuol essere ? „ Sono due giorni, che non parlate, non mangiate, e non date verun segno = Dite bene, *rispose il Servo di Dio*, ma non sapete, che sono stato ad assistere al Papa, che già E' MORTO? Non tardo molto, e si seppe, che ai VENTIDUE SETTEMBRE *Clemente XIV. ad ore 13. era passato all' altra vita*, *cioè* IN QUELL'ORA APPUNTO CHE IL SERVO DI DIO *toccato aveva il campanello*, E RISPOSTO COME HO DETTO (*a*).

131 Hoc item argumenti genere utitur *S. Gregorius* ad veritatem adstruendam illius charismatis, quo S. Benedictus vidit Germani Capuani Episcopi animam in sphera ignea ab Angelis in Cælum ferri, ita scribens (*b*) *Tunc tanti sibi testem volens adhibere Miraculi Servandum Diaconum iterato bis terque ejus nomine cum clamoris magnitudine vocavit . . . cui tantum hoc obstupescenti miraculum Vir Dei per ordinem quæ fuerant gesta narravit, statimque in Cassinum Castrum religioso Viro Theoprobo mandavit, ut Capuanam Urbem sub eadem nocte transmitteret &c. factumque est; & R̃mum Virum Germanum Episcopum is qui missus fuerat jam defunctum reperit, & requirens subtiliter agnovit* EODEM MOMENTO FUISSE ILLIUS OBITUM QUO VIR DOMINI *ejus* COGNOVIT *ascensum*.

132 Sed jam Vos, AA. PP., qua polletis ingenii sublimitate, intelligitis hac una rei a S. Benedicto gestæ narratione alteri Animadversionis parti nos ultro occurrisse, qua objicitur, quod etiamsi hoc Ligorii charisma ad somnium, ac delirium non pertineret, ejus tamen manifestatio ad vanam pertinet gloriolam. Eccur enim S. Benedictus visa in ecstasi Episcopi Germani anima, Servandum Diaconum *bis terque cum clamoris magnitudine vocavit*? Eccur eidem per ordinem quæ fuerant gesta narravit? Eccur ad Capuanam Urbem misit qui de Germani vita conquireret? An ne in tanto ecstasis manifestandæ studio, atque sollicitudine eum de vana gloriola nostra Animadversio reprehenderet? An ne de eadem vana gloriola reprehenderet item *S. Vincentium Ferrerium*, qui Cæsaraugustæ e rostris matrem suam tunc Valentiæ defunctam, & in Cælum ab Angelis sublatam innumeris Auditoribus publice evulgavit? (*c*) An ne tot alios sanctos de vana gloriola reprehenderet, quot sibi cælitus collata dona manifestarunt?

133 Si absonum profecto esset id vel a longe de iis suspicari, de quorum sanctitate constat, æque absonum de Alphonso est, cujus *heroica humilitas* plene in Summario probatur *num.* 30. ac illud præsertim studium, quo heroicas virtutes suas, ac superna charismata, quæ Deus in ipsum plena manu congessit, occultare, omnemque vanam gloriolam a se procul arcere satagebat; ut in *Exposit. virt. pag.* 135. §. 277. & 136. §. 279. & *pag.* 137. §. 281.

134 Quamobrem non vanam gloriolam hisce in eventibus suspicemur, sed Divini Numinis providentiam admiremur, qui dum donis suos Famulos ornat, eosdem interno impulsu compellit, ut ea ad alio-

rum

(*a*) Proc. Apost. S. Agath. fol. 403. & præt. Resp. pag. 125. §. 264. & seq.

(*b*) Dialog. lib. 2. cap. 35.

(*c*) Ex Ribadaneira in ejus Vita.

rum ædificationem, & utilitatem aperiant, ne in tenebris inutiliter delitescant. Ea quippe gratiæ gratis datæ natura est, ut in manifestatione consistat, juxta Apostolum ad Corinth. 12.= *Unicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem*; ubi Angelicus: *Et ne manifestatio ejusmodi vana videatur subdit* = ad utilitatem = *scilicet communem, in quo designatur FINIS earum &c. Unde infra Cap. 14. 1. ad Corinth. 27.* dicitur = *Unusquisque habet Apocalypsim ad ædificationem: Apocalypsim, idest REVELATIONEM, vel in somniis, vel in visione aliqua ad ædificationem*. Secus enim nullas haberet Ecclesia, neque in veteri, neque in novo Testamento Patrum visiones, Prophetarum vaticinia, ac tot revelationes Sanctis ad nostra usque tempora factas, aliaque dona eis occulte collata. Hinc cum Benedicto XIV. *lib.* 3. *cap.* 40. *num.* 8. merito scribit Nicolaus Lancisius quod *Deus facit, ut sæpe nil minus quam talia cogitantibus Dei Servis dicantur ab eis ea, quæ ipsi studio deprimendi se occultabant, & nulli nota esse cupiebant &c. quæ PROPALATA esse AB OMNIBUS fere eximiis SANCTIS legimus in eorum gestis in beneficium Ecclesiæ annotatis*; & ad rem advertit *loco cit.* P. Bartolus = *Conciosiachè, come avvisai poc'anzi, allo providenza di Dio si appartenga a far sì, che per edificazione della sua Chiesa, per gloria del suo nome, e per contezza de'meriti de' suoi Servi se ne risappiano certi più rari effetti della sua grazia in essi, i quali altrimenti se ne anderebbero sotterra con essi*.

135 Præter vero hanc interni divini impulsi necessitatem omnibus omnino communem, sivit providentissimus Deus, ut Alphonsum peculiaris quædam necessitas ad suum manifestandum charisma compelleret; necessitas, inquam, illa, qua eum occurrentes Servi coegere, ut omnem ab eis pavorem arceret, omnemque ab iisdem admirationem repelleret = *Accorsero taluni de' familiari* = *Il Servo di Dio VEDENDOLI SBIGOTTITI*, che cosa è? gli disse: *E quelli*, che ci ,, vuol essere? Sono due giorni che non parlate, non mangiate, e ,, non date verun seguo = Dite bene voi, *rispose il Servo di Dio*, ,, ma non sapete, che sono stato ad assistere al Papa, che già è morto ,, . Finis ergo in quem directe Sacer Antistes intendit, non fuit patefaciendi charisma, sed familiaribus respondendi; ac ita Deus sivit, ut *nil tale cogitans* donum manifestaret quod, secus tumulus cum suo corpore contexisset. Qua de re hujusce manifestationis causam in suos familiares convertere Ligorius potest cum *Apostolo*, qui post suas narratas laudes, inquit = 2. *ad Cor.* 12. 11. *Vos me coegistis*, ubi Crysosthomus *Hom.* 27. scribit = *Eorum quæ locutus est causam omnem &c. ad discipulos suos convertit. Vos enim inquit, me coegistis*. Perterritis quippe Familiaribus suis causam tam studiose quærentibus, qua duobus ab illinc diebus haud amplius locutus fuerat, haud amplius comederat, haud amplius vitæ signum ediderat, veritatem aperire tenebatur, juxta ea quæ scribit Abbas Joannes apud Cassianum *collat.* 19. *cap.* 2. ibi = *si quid elatius, imo liberius fortasse protulero, quæso, ut* NON JACTANTIÆ VITIO, *sed ædificationis vestræ depromptum studio censeotis. Quia vobis* TAM STUDIOSE QUÆRENTIBUS *nihil de veritate existimo subtrahendum &c. confido enim quia neque apud vos de libertate dictorum Cœnodoxiæ noxam, neque apud conscientiam meam de suppressione veritatis quoddam* MENDACII CRIMEN *incurram*.

136 Ad

136 Ad illud progredior, quod *quarto* loco Censor objicit *cit.* §. 28. neglexisse nimirum V. S. D. Cancellarium singulas ejus *Episcopales Visitationes* recensere in documento, quod in *Summ. Additionali* jam dedimus; propterea que *hoc ipsum ostendi clarius* exquirit, *ne muneris sui parti Dei Servus defuisse dicatur*. Sed de Cancellarii negligentia quid ad nos? Quisnam enim jure exigere a nobis potest, ut infectum factum ostendamus; exhibeamus nimirum illius, vel alterius visitationis regestum, quam Cancellarius in acta non retulit? Nemo ad impossibile tenetur ex *Leg. Si quis gravi ff. de Sen. Syllano.* Si vero id a nobis Animadversio requirit, ut ostendamus Dei Famulum muneri suo non defuisse, jam in anteacta actione *plenissimos* in id probationes attulimus. Attulimus enim *innumeros oculatos Testes*, qui sancte deponunt Sacrum Antistitem *quotannis* per se bona utentem valetudine, vel per suum Vicarium, ipso ægritudine impedito, Diœcesim visitare, eamque totam juxta Tridentini legem in *quolibet biennio* lustrare consuevisse (*a*) quemadmodum vel ipsa Animadversio fatetur (*b*). Nec satis. Attulimus item præclarissimum, ac omni exceptione majus testimonium ipsius *S. Congregationis Concilii*, quo aperte constat quotannis V. Virum Diœcesim suam perlustrasse, ut in *Sum. addit. num.* 5. §. 2. = ibi = *Præceteris nos in Tui existimotionem impulit quod &c. TIBI SACRAM VISITATIONEM QUOTANNIS PERAGENTI viam parari facis &c.* Quodnam, amabo, monumentum gravissimo hocce testimonio illius met S. Congregationis, cui Episcopalium visitationum, earumque implementi cognitio demandata est, vel gravius, vel validius afferri, aut excogitari unquam potest? Itaque si Cancellarii regestus ab Animadversione expetitus antequam Purpuratorum PP. Sacri Concilii Interpretum testimonium exhiberetur, minus diligens in singulis videatur, minusque exactus, allatum jam lucutentissimum testimonium, quod *rem judicatam* exhibet, ceterasque probationes vel infirmare, vel extenuare ullo unquam pacto non potest. Aliud enim est omisisse Dei Famulum aliquas visitationes, aliud vero, longeque diversum omisisse Cancellarium earumdem regestum. Quotannis V. Ligorium Diœcesim visitare consuevisse gravissimis jam monumentis constat, quin hujusce rei probatio a visitationum regestu pendeat. Vos itaque AA. Judices hocce non indigetis documento. Non enim Judex ad unam probationis speciem, omissis aliis præstantissimis, animum suum intendere, & alligare tenetur, ut in *Can. si Testes* §. *sæpe Caus.* 4. *quest.* 2. & in cap. *In præsentia de Renunciat.* ibi = *Judex non semper ad unam speciem probationis applicet mentem suam, sed ex Confessionibus, depositionibus, allegationibus, & aliis &c. firmet animi sui motum*; & Innocentius III. *in cap. Causam de Sententia* = ibi = *Quia Judicis animus non semper ad unum probationis speciem inclinatur*; idque confirmat Adrianus Imp. in *L.* 3. §. *Ejusdem ff. de Testibus*, ibique Glossa verbo *speciem*, & in *L.* 5. *Cod. de Probat. ver. aliis* ibi = *Nec debet Judex alligare animum ad unam speciem probationum.*

137 Nihilo tamen minus optas ne ex ipsa Cancellarii negligentia V. Anti-

(*a*) Præt. Resp. pag. 63. a §. 127, ad 130 (*b*) Præt. Animad. §. 34.

tistitis diligentiæ in visitanda quotannis Diœcesi probationem? Eccilla. Si Cancellarius unam, vel alteram visitationem in acta referre omisit, album tamen papyrum reliquit, in quo eas opportune referret postquam Decreta majori commoditate meliorem forte in formam redigisset. Ergo album illud interstitium certissimam probationem præbet alias, præter jam scriptas, superesse visitationes ab Episcopo peractas imposterum conscribendas. Secus enim nullum inter ipsas visitationes interstitium reliquisset, nulloque spatio habuisset opus, si una alteri successisset, quo eas inter sese disjungeret; ceu clare percepit hodiernus Cancellarius in ipso *Summ. addit. num.* 3. ubi §. *Nell' anno* 1764. circa *fin.* legitur = *Si trova* CARTA BIANCA, *forse doveva qui stendersi l' apertura* DELLA VISITA FATTA DAL VESCOVO, *e si tralasciò*; ubi animadvertere oportet non deesse totius jam factæ visitationis regestum, sed illius duntaxat initii, sive *l' apertura* = In seq. §. *Nell' anno* 1765. circ. med. *Si vede* CHIARAMENTE CHE MANCANO *altre carte*. Et in §. Nell' anno 1768. = *comincia questo quinterno con spazio di carta bianca prima*, SEGNO EVIDENTE, CHE MANCANO *altri notamenti di visite*.

138 *Optandum* tandem *esset* (*ajebat quidam ex Patribus*) *ad completissimam Causæ illustrationem, ut mentis oberrationes, SI QUÆ FUERUNT momentaneæ, ac transeuntes non habituales demonstrentur*, ceu refert Animadversio *cit.* §.28. *in fin.* Verum huic Animadversioni jam satis abunde satisfecimus. *Expositio* enim *Virtutum, quibus V. Dei Famulus fulsit per postremos annos duodecim*, quam ad completissimam Causæ illustrationem ad calcem præteritæ Responsionis exhibuimus, quamvis habitualis imbecillitatis suspicionem prorsus excludit. Rogo siquidem Sapientissimum illum Suffragatorem, ut ea expositione perlecta, decernat, an Virtutum habitus per præstantissimos juges, quotidianos, planeque heroicos actus ubertim probatus cum habituali imbecillitate congruere, & consistere valeat. Testes præterea apprime distinguunt, apteque secernunt *simulatæ* imbecillitatis actus ab actibus integræ, sapientisque mentis; cum experientia cognovisse deponant, quod tunc V. Senex imbecillitatem, mentisque oberrationem simulare consueverat, cum intelligeret ad se venientes homines, non necessitate, sed Sanctitatis suæ potius admirandæ causa duci; cum vero vel Dei gloriæ, vel Proximi utilitatis occasio suppeteret, tunc apposita responsa dabat, angelica monita præbebat, ac sublimi quadam ratione animas dirigebat (*a*).

139 Et sane si mentis oberrationis nomine eas appelles abstractiones, quas diligentissimus Animadversor ex rimatis actis undique conquisitas in *Summarium Objectionale* congessit, jam eas in anteacta actione probavimus, vel totidem fuisse virtutum actus, vel *transeuntes* mentis evaginationes cuicumque sanæ mentis homini alio occupato contingere solitas. Si enim objicias ipsum ob fractum inconsulto jejunium a Missæ celebratione prohibitum, sacram saltem synaxim expetiisse, concedas oportet acerbissimum dolorem a sacræ mensæ privatione susceptum hunc pietatis errorem ei suggessisse; concedas-

(*a*) Exposit. Virt. pag. 92. & 93. §. 69. per tot., & pag. 137. §. 181.

dasque item oportet *transitoriam* fuisse eam mentis aberrationem, quæ illico cessavit cum a Secretario dictum accepit = *Monsignore non è lo stesso il caso? Voi avete già rotto il digiuno* &c. Si habitualis vero fuisset haud certe propositam impedimenti paritatem percepisset (*a*) Si objicias Ligorium appellasse Canonicum Genchi suum Superiorem (*Sum. Obj. pag.* 12. §. 4.) concedas oportet sanæ mentis propositionem fuisse. Erat enim ille Superior Congregationis Apostolicarum Missionum Neapolis, cui Ligorius usque a primis Apostolatus annis nomen dederat, proptereaque erat ille, ut cæterorum illius Congregationis Sodalium, sic Ligorii Superior (*b*). Si objicias aliqnos inutile existimasse ab eo consilium petere quod exoptabat Abbatissa suæ Neptis, concedas oportet eos fefelisse opinionem cum, tentamine facto, sanæ mentis, ac prudentissimum ab eo responsum acceperint (*c*). Si objicias eum dum versaretur in templo confessarium clare voce vocasse *per qualche suo bisogno*, concedas oportet id evenisse ex momentanea mentis evagiatione Viri jam fere cæci, qua conscientiæ dubium alta mente revolvens, ut ceteris hominibus evenire solet, haud animadvertit versari in templo, ubi vero id audivit, *subito si compose*, *ne disse altro* = quod habitualiter imbecillis non fecisset (*d*). Hæc profecto sunt mentis oberrationes, quas diligentissimo Animadversori datum fuit reperire, quasque omnes *momentaneas* & transeuntes fuisse nemo est qui non videat, planeque Intelligat. Cæterum etiamsi aliæ reperirentur, probato jam heroico *Virtutum habitu* in earum lucupletissima *Expositione*, nonnisi transeuntes, ac momentaneas fuisse fatendum esset, easque non a mentis imbecillitate, sed vel a cæcitate, ac surditate, vel a delicatæ conscientiæ religione, & anxietate inter tentationum, & phantasmatum fluctus exortas; quemadmodum aliis item *Sanctis* dicendi initio evenisse probavimus.

140 Sed jam juxta religiosissimi Animadversoris vota depulsæ *nubeculæ* sunt, ac reddita serenitate, V. hujusce Antistitis Sanctitatis fulgor pulcherrime micat. Reliquum est, quod unus ille, vel alter ex doctissimis Suffragatoribus cujus oculis dispersæ nubeculæ objiciebantur, in splendidissimum hoc sydus, quod fulget in perpetuas æternitates, mentis aciem nunc libere intendens ceterorum plausibus suos item adjungat, ut *Antistes hic* SANCTISSIMUS, verba sunt ingenui doctique Censoris, *altarium honoribus augeri possit ad Sanctæ Matris Ecclesiæ decus, & Episcopalis ordinis ornamentum.*

Quare &c.

Hyacinthus Amicius

REVISA

A. Gardellini Sub-Promotor Fidei

(*a*) Prat. Resp. pag. 122. §. 253. & seq.
(*b*) Loco cit. pag. 131. §. 275.
(*c*) Loco cit. pag. 131. & seq. §. 277.
(*d*) Loco cit. pag. 132; §. 278.